CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM
ORIENTALIUM

EDITUM CONSILIO

UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE

ET

UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS

CURANTIBUS

I.-B. CHABOT, I. FORGET, I. GUIDI, H. HYVERNAT

SCRIPTORES SYRI

SERIES QUARTA

TOMUS V

VERSIO

MDCCCCXXIX


SEVERI ANTIOCHENI

LIBER CONTRA IMPIUM GRAMMATICUM

ORATIONIS TERTIAE PARS PRIOR

INTERPRETATUS EST

IOSEPHUS LEBON



LOVANII

E TYPOGRAPHEO MARCELLI ISTAS

MDCCCCXXIX

LIBER
SANCTI MAR SEVERI
PATRIARCHAE ANTIOCHIAE
CONTRA IMPIUM GRAMMATICUM

ORATIO TERTIA
PARS PRIOR

. . . .

*[minime vero consentit Chalcedonensibus, ut][1] dixit ille ignarus. — Rursus confutatio [demonstrativa] perfecta ex epistula ad Acacium, [quae ostendit] expresse dixisse sanctum Cyrillum [non esse] sua verba illa, quae [impius *Grammaticus*] asseruit illum agnovisse ut sua. [Quod illud turpe] auditu ab ipsis [Orientalibus] dictum, *scilicet* dividendas esse voces [de] Christo *prolatas*, medici et doctoris more [sanans *Cyrillus*,] cognitionem differentiae [vocum dicit] adesse, ad hoc ut cognoscamus quaenam [quidem] Deum deceant, quaenam vero [deceant] humanitatem, minime vero *adesse* divisionem, qua has [divina natura], illas autem humana loquatur, sed [unus] Christus, qui ex utraque *natura constituitur*, omnes [indivise] loquitur.— Quod, imitatus Theodoretum [blasphematorem, verba] Orientalium, spoliata [remedio, sancti] Cyrilli confinxit *esse Grammaticus*, [ut distinctio] vocum divisio [fieret, dum unaquaeque ex] naturis *suas voces* loquatur, [eique propriae ipsius adscribantur: quod alienum est] ab unione hypostatica, proprium autem [*unionis*] habitudinis, secundum quam homo a [Verbo assumptus esset], quasi radio solis [fulgens et impulsus], dissimulata blasphemia [christorum et filiorum] divisim loquentium [in duabus naturis] et formis. — Institutio ampla [sanctorum Patrum], quae ostendit veritatem adversus [blasphemias] supra relatas Theodoreti et Leonis, [et quae ostendit dualitati] naturarum post unionem

*p. 2.

[1] Primum folium periit. Haec supersunt ex argumento capitis III; cf. infra, p. 15.

[adhaerere etiam divisionem] vocum, uni vero naturae [Verbi incarnatae] τὸ differentiam quidem agnoscere actionum [et vocum] divinarum et humanarum, sed τὸ indivisas illas [servare], cum unus sit [qui agit] et loquitur, Deus incarnatus, [cuius humilatio], cum criminationes multas sustinuerit, omnes [sane propter] redemptionem nostram, exaltata est [super caelum * et ad silentium coegit] illos *detrectatores*. — Quod tempora defi[niebant doctores], *tempus* ante inhu[manationem et *tempus* post inhumanat]ionem, et qua[si ipsum sibi[1] . . . . .
. . . .

* p. 3.

[CAPUT PRIMUM]

. . . .
. . . aegrotavit, dicit Scriptura divina; et audiebat Deum, modo quidem ipsam reicientem his *verbis* Isaiae, a Spiritu inspirati ut scriberet ad eruditionem nostram: « Tu autem dixisti in corde tuo: in caelum conscendam; super astra caeli ponam solium meum[2]»; modo vero his *verbis* Ezechielis dicentem: « Elevatum est cor tuum in fortitudine tua, et a die, qua conditus es, cum Cherubim dedi te in monte sancto Dei; fuisti in medio lapidum ignis; fuisti absque macula in diebus tuis, a die, qua conditus es, donec inventa est in te iniquitas[3].» Respiciens ad tribum *prae*dictam, etiam propheta Hosea declarat, dicens; « Ephraim vitula docta diligere victoriam[4]»; rursusque: « Ephraim autem, spiritus malus, persecutus est aestum; tota die vana et inania multiplicabat[5].»

Etiam enim scriptum est in *libro* Iudicum quod, cum Gedeon vicisset et vi subiugavisset Madianitas, populum barbarum, qui oppresserat Israel per septem annos integros, filii Ephraim, venientes sub fine victoriae, apprehenderunt principes fugientes barbarorum, et postea cum [Gedeone], qui vicerat, litigabant, dicentes: « Quodnam est verbum hoc, quod fecisti nobis, ut non vocares nos cum pergeres * ad pugnandum cum Madianitis? Et iurgio lacessebant illum vehementer. Et dixit illis:

* p. 4.

[1] Ex argumento capitis VII. Reliqua desunt. — [2] ISAI., XIV, 13. — [3] EZECH., XXVIII, 5, 13-15. — [4] HOS., X, 11. — [5] HOS., XII, 1.

Quid feci nunc sicut vos? Nonne melior racemus Ephraim quam vindemia Israel? In manus vestras tradidit Deus principes Madian, Oreb et Zeb et quid potui facere sicut vos? Et tunc placavit spiritum eorum a se, cum locutus esset hoc verbum[1].» Et sapientia principis et ducis populi et iudicis scintillam, quae inceperat ardere, belli intestini, ex impudentia iactantiae eorum, humili spiritu extinxit. Dixit enim de seipso et de iis, qui secum arma ceperant, quod messuerant quidem botros multos belli adversus barbaros, se autem victum esse confessus est ultimo racemo Ephraim, qui ceperat et tenuerat principes Madian. Ita amens superbia et facile defraudatur, et multitudine laudum atque externa specie et gloria a multis *data* intumescit. [Quis] enim unquam racemum censebit praestare omnibus botris quos dum colligit vindemiator larga impigraque manu, implet torcularia, et ut superfundant vinum hydriae efficit, et urceos complet vino potabili, suavi, copioso atque salutari. Erraverunt ergo et isti superbi, quos dolo cepit; racemo quidem comparati sunt, sed putaverunt se praestantiam obtinere, minusque prospere quam seipsos illum se gessisse qui hac *voce* « vindemiavit » omnia correxerat; ne ipsis quidem nominibus botri et racemi perceperunt differentiam veneruntque ad conscientiam parvitatis suae. Sic parvus [puer], qui alta meditatur: cum vir quidam bellator ludicre . . . . . illi excelsa, * sed quia cogitatio magnalium . . . ., superbior et pervicacior fit, indigetque percutiente sibi caput . . . . . ., ut respiret a passione.

* p. 5.

Rursus viri ex tribu Ephraim adversus Iephte, qui vicerat . . . . Ammonitas, qui decem et octo annis subegerant filios Israel, eadem cum superbia . . . . . . insurrexerunt, et dixerunt, cum illos decuisset laetari cum illo de victoria: « Cur perrexisti ad pugnandum adversus filios Ammon et nos non vocasti ad pergendum tecum? Domum tuam comburemus igne super te[2].» Et cum redarguisset Iephte verbis debitis vanitatem eorum, et ostendisset illos pusillanimem minimeque bellicosam elationem sortiri, et ad aggressionem quidem adversariorum quietos se habuisse, atque ne advocatos quidem in

[1] *Iudic.*, VIII, 1-3. — [2] *Iudic.*, XII, 1.

auxilium voluisse ...... cum concivibus suis, sed tantum prop-
ter victorias alienas invidia laborare; cum induci non possent
ab illo ut quiescerent, de cetero non docuit illos hoc agere,
armatis cum ipso contribulibus eius viris terrae Galaad. Qui,
irruentes in istos superbos, multas interneciones perpetrarunt
et in fugam verterunt superstites; insuper, praeoccupantes
vada Iordanis, fugam illis intercluserunt, ita ut ipsi *Ephrai-
mitae* stulte .... post tantam cladem .... iam negarent
se esse ex tribu Ephraim. At vero viri Galaad, retundentes
negationem eorum, requirebant ut signum et indicium quoddam
declararent, quod ostendere valeret illos ex tribu Ephraim
non esse; cumque illi petitioni apte respondere non possent,
confutabantur. Bonum autem est ut etiam ipsum verbum Scrip-
* p. 6. turae inspiratae audiamus, quod sic se habet * : « Praeoccu-
paveruntque viri Galaad vada Iordanis ante Ephraim. Et
factum est: cum dicerent Ephraimitae, qui servati erant:
Transeamus, dixerunt ad illos viri Galaad: Numquid estis ex
Ephraim? Et dixerunt: Non sumus. Et dixerunt ad illos: Dicite
šeblē. Et non poterant ita loqui. Et apprehendebant illos et
occidebant in vadis Iordanis. Et ceciderunt ex Ephraim hoc
tempore quadraginta duo millia[1].»

Itaque sicut tribus Ephraim, contemptum et inurbanam
gloriationem spirans, et victoriae fidei rectae insidiatus Gram-
maticus, et invide exsurgens, et duplicitate naturarum post
[unionem] inenarrabilem impie dissecans unum dominum et
deum Iesum Christum, negat se placitis Nestorii assentiri,
dicens se duas naturas unitas confiteri, idemque esse et duas
naturas indivisas et unam *naturam* incarnatam dicere; et per
hoc conatur, sicut *viri* ex tribu Ephraim, sub mendaci specie
transire Iordanem atque orthodoxis adscribi. At inaccessus
et impervius est *Iordanis* iis, qui induerunt personam alienam
et spiritus veritatis non est in illis. Ecce enim sanctus Cyrillus,
praeoccupans vada eius, rogat dolosum et mendacem et refu-
gientem a correptionibus impietatis atque pelle tantum pietatis
fallacique persona indutum, iuxta verba allata Scripturae divi-
nae: Dic šeblē, et nequit ita loqui. Nam quomodo adapta-

[1] *Iudic.*, XII, 5-6.

bitur et componetur et eodem recidet et concors censebitur assertio haec: δύο φύσεις ἀδιαίρετοι, cum illa confessione: μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη? Etenim, in epistula secunda ad Succensum, postquam posuit sapiens Cyrillus retorsionem, quae contentiose * repugnat et interrogat: * p. 7. RETORSIO HAERETICA: « Quomodo non concedemus duas naturas subsistere post unionem indivise[1]?», respondet et dicit: CYRILLUS: « Adversatur iterum nihilominus retorsio iis, qui unam naturam dicunt esse Filii incarnatam; et ineptum volentes illud ostendere, contendunt ubique duas naturas subsistentes exhibere[2]»! Quod et impium Nestorium in praecedentibus disquisitionibus protulimus sic dicentem: NESTORIUS: « Ego vero, id est persona Ecclesiae, quibuscumque loquar, idem propono omnibus, deum perfectum Christum vocans et hominem perfectum, naturis non mixtis sed unitis[3].»

Cum ergo impar esset Grammaticus qui diceret šeblē, eique integrum non esset ita loqui ut vult verbum orthodoxiae, in vadis Iordanis, antequam transiret, spiritus sancti Cyrilli *illum* occidit. Rursusque, impudenter eadem hypocrisi utitur, et ait: Non sum sectator Nestorii, quemadmodum illi *Ephraimitae* post cladem dicebant, mentientes, se non esse ex tribu Ephraim. Ait enim: ἐν δύο φύσεσιν ἀδιαιρέτοις confiteor Christum, scilicet *in duabus* οὐσίαις secundum notionem genericam et significationem communem, ne deprehendar ipsa Nestorii *verba* dicens, neque prohibear quominus transeam Iordanem. Rursus interrogatus a sapiente Cyrillo eadem petitione: Dic šeblē, cum non possit ita loqui, ut ipse *Cyrillus*, tradens verbum sanum, docet, — non enim ex essentiis secundum significationem communem, quae hypostases multas comprehendunt[4], est * Emmanuel, sed ex una hypostasi, Dei nempe Verbi, et * p. 8. carne, utique animata anima rationabili, quae *caro* etiam ex Maria est et substitit in ipsa unione ad [Deum] Verbum, et perfecit inconfuse et indivise unum Christum, unum Dominum,

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [2] *Ibid.*, 245. — [3] LOOFS, *Nestoriana*, p. 332. — [4] Cfr *P. Gr.*, LXXXVI, 920, ubi in quodam textu graeco Severi legitur: οὐχ οὐσίας νοοῦμεν τὰς φύσεις τὰς τῆς κοινότητος δηλωτικὰς καὶ πολλῶν ὑποστάσεων περιεκτικάς.

unam hypostasim et naturam, ipsius nempe Verbi, incarna-
tam et ineffabiliter inhumanatam; neque enim οὐσία divini-
tatis secundum significationem communem, quae est sancta
Trinitas, incarnata est *per unionem* ad οὐσία et totum genus
humanitatis: hoc enim maximae impietatis et dementiae est,
— extra fluctus Iordanis consistit *Grammaticus*, nullo modo
transire valens, quia caret facultate dicendi šeblē et inve-
niendi verbum responsionis ex sententiis rectis; vocat in
semetipsum, *sua* impotentia loquendi, caedem, in quam etiam
illum impellit, in vadis Iordanis stans, illaque praecludens
verbis illius pollutis, Cyrillus zelotes sicut Phinees, lanceamque
sacerdotalem tenens, et inter scortatores prompte repellit illum.
Et manifeste adversus essentias secundum significationem com-
munem, a Grammatico confictas, scripsit, in capite tertio, cum
ad Nestorium scriberet, haec: Cyrillus: « Quicumque in uno
Christo dividit hypostases post unionem, et solummodo iungit
eas copulatione, quae *est* secundum dignitatem vel potestatem,
non autem potius coniunctione quae *est* secundum unionem
naturalem, anathema sit[1].»

Sic occisus, rursus ad alium *dicendi* modum cum simulatione
transit et dicit se unionem hypostaticam confiteri, cuius perfec-
tio est confiteri μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην et *tamen*
prolem unionis secundum dilectionem et benevolentiam, ut
dicunt illi, qui in iudaismo[2] *versantur, scilicet* dualitem natu-
rarum, amplectitur. * Et iterum despoliatur et šeblē dicere
nequit; aquae spirituales Iordanis in altum eriguntur, sinum-
que suum non expandunt conanti cum simulatione transire,
sed excitant tempestatem, illique demersionem et ad imum
detrusionem minantur, si modo pergere audeat. Stat autem
nihilominus eximius Cyrillus in vadis fluminis, et in novam
necem proicit illum, clamans: Cyrillus: « At, post unionem,
utpote sublata iam sectione in duas, unam credimus esse natu-
ram Filii, ut unius, verum inhumanati et incarnati[3].» Et
iterum alibi: « Itaque, illac duae *naturae* non iam sunt duae,
sed utraque unum animal absolvitur[4].»

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 120. — [2] Id est, in nestorianismo. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 192. — [4] *Ibid.*, 245.

Insuper, ausus est dicere quod, cum impius Theodoretus, in
reprehensionibus capitulorum, duarum naturarum mentionem
fecisset bene et irreprehensibiliter, sanctus Cyrillus tacuit et
consensit, nihilque habuit quod diceret. Theodoreto quidem
impiissime clamante: Theodoretus: « Unionem vero hyposta-
ticam omnino ignoramus, utpote peregrinam et alienam a
divinis Scripturis et a Patribus qui illas explanarunt[1]», Cyril-
lus, sapiens et prudens doctor, clarius quam quaelibet tuba
clamavit et corripuit iniquum prae hypostatica, naturali et
vera unione mendacem et habitudinalem *unionem* eligentem,
scribendo haec: Cyrillus: « Exinanivit semetipsum, non invo-
luntarie, sed Unigenitus libens factus est homo, non autem, ut
tu dicis, assumpsit hominem, habitudinalem illi donans copu-
lationem, illumque gratia adoptionis filiorum coronans sicut
nos. Itaque, licet intelligamus unitas esse hypostases, et inhu-
manatum et incarnatum esse Verbum, et videatur secundum
hoc * naturalis a nobis dici unio, quae non veram sed habitu-
dinalem expellit *unionem*, quam nos acquirimus per fidem et
sanctificationem, — nam etiam naturae divinae consortes facti
sumus[2], et, ut dixit Paulus: « qui adhaeret Domino, unus
spiritus est[3]», — attamen non subicit *haec unio* necessitatibus
et imperiis naturalibus Verbum Dei impassibile et liberum[4].»

At, longum esset et ceteroquin superfluum sententias pollutas
huic cognatas recitare, quae in praecedentibus disquisitionibus
confutata est; quibuscum Grammaticus, personam pietatis in-
dutus et advocatus Theodoreti, Iordanem transire aggressus
est, dignus sane qui super flumina Babylonis, ut scriptum
est[5], sederet et miserum immundumque librum abominandae
suae doctrinae legeret.

CAPUT SECUNDUM

Confutatio impii qui dixit mendaci quadam opinione separatos esse Orientales a sancto Cyrillo et a sancta synodo ephesina.

Attamen, decet etiam cetera, quae effutiuntur ab illo, nos
scrutari et iam investigatis addere. Iamvero, circumspectis

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 400. — [2] Cfr II Petri, I, 4. — [3] I *Cor.*, VI, 17. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 408. — [5] *Psalm.* CXXXVI, 1.

in civitate ephesina omnibus quae ad infausti nominis Nestorium pertinebant, sancta synodus venerabilium episcoporum ibi congregata, cum blasphemias eius scrutata esset, easque manifeste oppositas Scripturae divinae reperisset, eas quidem reiecit, iusta autem sententia * depositionis ipsum Dei impugnatorem damnavit. Soli tunc episcopi Orientis ab omnium unanimitate semetipsos separaverunt; auxilium autem impio ferebant, et vilium eius opiniuncularum pruritu misere atque prorsus irreligiose et impie laborabant, praeter unum alterumve, qui sani utique erant in cogitationibus suis, sed maxima ex parte a praesidibus Orientis abrepti erant. Adeo malo studebant et ad tantam elati sunt superbiam, ut etiam in parte adversa seipsos constituerent, et Ephesi libellum proponerent sententiam depositionis pronuntiantem adversus venerabilem Cyrillum et Dei amantem Memnonem, haereticam autem vocantem universalem synodum, et interdictionis decretum adversus illam irregulariter, audacter atque praeter omnem ecclesiasticam legem, ferentem. Ipsi quidem erant, qui criminis fugientium rei erant et qui, praefinita die[1] qua oportebat eos convenire, postremi fuerunt omnium sanctorum episcoporum, qui undique convenerunt, et ipsis rebus visi sunt malevolentes defuisse, dum per moram effugium invenire machinarentur, ut Nestorium a sententia, quae illum damnavit, eriperent.

At, ne existimer illa ipse commentus scribere, ipsum libellum eorum, qui ad tam amentem audaciam processerunt, subiciam. Ex libello impiae accusationis quem episcopi orientales Ephesi proposuerunt: « Sancta synodus * Dei gratia Ephesi congregata, iuxta scripta religiosorum et Christi amantium imperatorum, dixit ea, quae infra scribuntur. Optabamus quidem iuxta canones sanctorum Patrum, et iuxta scripta religiosorum Christique amantium imperatorum, pacate synodum fieri. At, quoniam audacter, inordinate, incongrue, mentique haereticae indulgentes, soli inter vos consessum celebrastis, quamvis prae foribus iam versaremur iuxta scripta religiosorum imperatorum; et omni perturbatione civitatem sanctamque synodum implestis, ne excuterentur capitula

[1] προθεσμία.

illa, quae consonant malae sententiae et impietati Apollinarii et Arii et Eunomii; neque exspectavistis adventum sanctorum undique episcoporum, qui a religiosis imperatoribus vocati fuerant; et haec quidem, cum magnificus comes Candidianus scripto et sine scripto prohibuisset ne quidquam huiusmodi auderetis, sed *contra praecepisset* ut exspectaretis congregationem generalem omnium sanctorum episcoporum: ideo scitote vos depositos esse et ab episcopatu alienos, tu, Cyrille Alexandriae, tuque, Memnon, huius civitatis *episcope*, et alienos ab omni ministerio ecclesiae, ut duces et primores totius perturbationis et iniquitatis, et quia ut contemnerentur canones Patrum et mandata imperatorum vestra causa accidit. Omnes autem ceteri, qui consensistis illis inordinate et inique *agentibus* contra canones et contra mandata imperatorum, exclusi a communione estis donec delicta vestra agnoscentes, resipueritis * et fidem sanctorum Patrum nostrorum, qui Nicaeae congregati sunt, receperitis, nihil alienum illi superimponentes, et anathematizantes capita haeretica, quae scripta sunt a Cyrillo alexandrino, quae adversantur doctrinae apostolicae evangelii, et obtemperaveritis decreto religiosorum et Christi amantissimorum imperatorum praecipienti ut pacate et accurate ea, quae ad fidem pertinent, inquirantur[1].»

His similia insipienter et impie ausi sunt etiam ad religiosum imperatorem Theodosium scribere, quorum partem iam exscriptis consentaneam, inquisitionis gratia apponam. Ipsorum episcoporum orientalium; ex impudenti libello, quem fecerunt ad imperatorem Theodosium: « Sic nobis quoque necessario ratio reddenda est apud Dominationem vestram, de iis quibus coacti sumus, in ephesina civitate constituti, improbare et condemnare eos, qui ab exordio mandata vestra proculcaverunt; qui, conscientia sua vexati, volebant confirmare et innovare contra veritatem dogmata Apollinarii et Arii, per ea quae Alexandriae *episcopus* olim ad urbem regiam capita nonnulla cum anathematismis misit[2].»

Cum hac libidinosa[3] tyrannide et impietate Orientem abduxissent, ut interiecta praetermittam, indivisibile corpus Eccle-

[1] Mansi, t. III, col. 1123. — [2] *P. Gr.*, LXXXIII, 1460. — [3] αὐτόνομος.

siae, quantum in ipsis erat, diviserunt, quemadmodum etiam dogmatibus iudaismi unicum Dominum et Deum nostrum Iesum Christum. Postea, cum Nestorius in exsilium missus esset, et religiosus imperator assensus esset *sententiae depositionis cius, a sancta et universali synodo latae, et sanctus Maximia- nus thronum pontificatus constantinopolitani legitime, divino et superno nutu, obtinuisset, et aliquod tempus praeterisset, ac in eadem impietate detinerentur illi, qui in Oriente tunc temporis ecclesiis praeerant, imperiali sollicitudine et pietate, ad inducendam pacem coniungendosque eos, qui insane et praeter omnem sacerdotalem mentem atque ordinationem sepa- rabantur, illustris tribunus notarius Aristolaus missus est. Et adeo implicabantur immundis Nestorii doctrinis, ut neque depo- sitioni eius subscribere vellent, neque consentirent institutioni et consecrationi sancti Maximiani, episcopi regiae civitatis, et easdem quaestiones impie moverent, ut capita omniaque scripta inspirata sancti Cyrilli adversus Nestorium composita irrita fierent, id est, aliis verbis, ut omne verbum pium et dis- sipans sententiam perversam Nestorii irritum fieret et compri- meretur, neque confiteremur Deum esse vere Emmanuelem, Ver- bum Dei immutabiliter et absque phantasia incarnatum et inhumanatum, et deiparam *esse* sanctam Virginem: hoc enim est primum ex capitibus Cyrilli, quae accuratissima diligentia sunt pura. Namque illi, mediante casto Acacio, episcopo Hale- bensi, rogabant sanctum Cyrillum *sic: IMPIA COLLOCUTIO EPIS- COPORUM ORIENTALIUM AD SANCTUM CYRILLUM ET SOCIOS EIUS: « Sic ergo, omnibus quae agitata sunt et ab utraque parte processerunt, tum ante synodum ephesinam, tum in ipsa syno- do, tum post synodum sive per epistulas, sive per libellos, sive per anathematismos, penitus abolitis, et obtinente sola fide, quae in sancta et universali synodo nicaena a sanctis Patribus exposita est, ut quae perfecte totam complectatur oeconomiam Domini in carne, illi omnes consentiemus[1].» In extrema autem epistula haec eadem scribit Acacius, in modum expositionis ab omnibus exaratae et ex communi persona episcoporum orien- talium: « Pro plena autem persuasione et concordia utriusque

* p. 14. * p. 15.

[1] Locum non repperi.

partis placuit ut, ad eruditionem tuae Pietatis, etiam haec petitio poneretur in epistula nostra[1]. Assentimus fidei illorum, qui Nicaeam convenerunt, sanctorum Patrum, ut quae doctri- nam evangelicam et apostolicam contineat et additamento non indigeat. Manifestum vero ipsum eius sensum efficit etiam sanctus ac beatus Athanasius, episcopus civitatis Alexandrino- rum et confessor, in epistula ad Deo amicissimum et beatum Epictetum, episcopum Corinthi. Assentimus ergo et illi, tan- quam interpretationem accuratam continenti praedictae fidei. Dogmata autem nuper introducta, sive per scripta, sive per capita tanquam turbantia id *quod* commune *est*, reicimus, cum nobis sufficiat legislatio antiqua *Patrum, et obediamus illi, qui dixit[2]: Ne transferas terminos aeternos, quos posuerunt patres tui[3]. »

* p. 16.

Ad haec ergo sapiens stabilitor ecclesiarum et dispensator mysteriorum Dei Cyrillus rescribens Acacio, scripsit sic: CY- RILLUS: « Igitur, etsi multa sunt et pessima, quae ab illis contra nos facta sunt, omnisque species crudelitatis tentata est, tamen, considerantes id, quod Deo placet et acceptum est pio atque Christi amantissimo imperatori, illudque quod ecclesiis prodest, itemque commonitiones tuae Sanctitatis omni reverentia dignas ducentes, merito dimittimus tanquam fratribus nostris ea, quae contra nos facta sunt; quaerimus autem potius id, quod omni- bus videtur bene recteque se habere. Placet autem etiam ipsi piissimo ac Christi amantissmo imperatori *ut* consentiant depo- sitioni Nestorii, anathematizantes blasphemias et dogmata eius polluta. Nec quidquam ultra remanet quod prohibeat quominus schisma de medio tollatur; recipient enim ecclesiae invicem, Christo pacem suam largiente in illis[4].» ET POST ALIA: « Virtus autem capitum adversus dogmata Nestorii sola pugnat, nam ea, quae iste dixit et sensit haud recte, eicit. Qui autem anathematizant et negant vesaniam eius, cessabunt nostra incre- pare; etenim videbunt sententias in capitibus *traditas* solis eius blasphemiis opponi[5].» RURSUSQUE POST PAUCA: « Illis autem, qui dicunt oportere ut eiciantur ea, quae adversus dogmata

[1] Hucusque locum non repperi. — [2] *Proverb.*, XXII, 28. — [3] *P. Gr.*, LXXXIV, 658 (latine tantum). — [4] *P. Gr.*, LXXXVII, 160 (latine tantum). — [5] *Ibid.*, 161.

polluta Nestorii scripsimus, nemo acquiescet. Manifeste enim elingues volunt nos fieri, blasphemiis eius silentium omnium *pretio comparantes. Aut forsan nobis etiam putant se suasuros esse ut ea, quae istius sunt, sapiamus, si nostra negaverimus, quae recte et immaculate se habent, et contra illius vaniloquia pugnant. Si vero quidam eorum, qui illic sunt, secundum quod illis placet detrahunt aliquibus, sese convertentes ad sententias incongruas, tamen sciant quod ipsi soli, praeter omnes piissimos episcopos, qui sunt in orbe, ita agentes deprehenduntur. Consenserunt enim atque consentiunt omnes his, quae a nobis *scripta sunt*, tanquam recte se habentibus et dictis, et *ita* quidem, quamvis divinorum dogmatum sint perscrutatores sollertissimi[1].»

* p. 17.

Cum ergo petitiones tam inanes et tela infirma, clypeo deflectente et repugnante potentis, ceciderissent et deiecta essent, et huiusmodi insania in spumam cessisset, desierunt petere quae sanae fidei adversantur et moenia Ierusalem evertunt, id est, scripta sancti Cyrilli, quae immundum hiatum oris Nestorii claudunt. Anathematizaverunt quidem Dei hostem una cum dogmatibus impiis, depositioni vero eius subscripserunt et θεοτόκον confessi sunt sanctam Virginem, non addentes etiam ἀνθρωποτόκον illam esse vocandam, sicut Nestorio et Theodoreto placuit; unum praedicarunt Emmanuelem, eundem Deum et hominem, consubstantialem Patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, quin ullo modo secundum homonymiam filiationis aut secundum copulationem ex dignitate dicerent *se haec confiteri; et unum Christum dixerunt, artificio in hoc utentes. Et cum congregatim inania Nestorii verba omnino cum anathemate reiecta fuissent, et sacra atque irridentia scripta adversus illa *composita* remansissent firma, cucurrit ad unionem cum illis et ad vinculum communionis sanctus Cyrillus, multitudinem illorum, qui sibi subiciebantur, verbaque crassiora confessionis eorum pro nihilo ducens; imo etiam illos, per ea quae respondit et diversimode scripsit, sanavit, quemadmodum ipsa consideratio rerum manifeste ostendit.

* p. 18.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 161 (latine tantum).

Sed Grammaticus, rerum divinarum imperitus, perinde ac si nihil omnino intercesserit inter Orientales schismaticos et synodum sanctam ephesinam sanctumque Cyrillum, omnibus simul istis indiciis veritatis stultum dorsum vertit, ut aliquis ex prophetis dixit[1], et convertit faciem suam, eamque in mendacium tantum impudentissime fixit. Ausus est scribere haec: GRAMMATICUS: « Quod enim maximum est, et, quo posito, omnis calliditas verborum inutilis evadit: Orientalibus tunc segregatis mendaci quadam opinione, Deus, qui separatos coniungit, eos, qui eadem sentiebant, ad concordiam adduxit[2].» Suntne, dic mihi, opinio ficta omnia haec, quae omnibus his testimoniis scriptis ostendunt quomodo Orientales pro impietate Nestorii pugnarent, qualesque postulationes proferrent et promissiones darent? Scripta sancti Cyrilli malitia obruere et silentii rupe abscondere volebant, imo fundamenta *ecclesiae suffodere et radicitus evertere, et totum eius munimentum excutere in terram. Sed quae tua ineruditio profert, neque magis suasoria sunt neque validiora *testimoniis* scriptis, o tu, qui indocte asseris quodcumque vis. Sed quia non opinio conficta, ut dixisti, erat separatio eorum, postquam adinventiones illorum ad nihilum redegit, et omnes impias eorum petitiones in cervices eorum retorsit, tunc ad communionem illos recepit.

* p. 19.

Et cum ad Iohannem, civitatis Antiochenorum episcopum rescriberet, ab ipso exordio scripsit haec verba gaudii propter unionem illorum qui sanitate privati fuerant et elongati: CYRILLUS: « Laetentur caeli et exsultet terra[3]. Solutus enim est paries medius et cessavit id, quod tristitiam afferebat, et sublatum est omne genus dissidii, Salvatore omnium nostrum Christo ecclesiae suae pacem suam largiente[4].» Illa autem, quae diximus, ea fuisse quorum causa exsultaret atque laetaretur, magnis multisque emendatis, ipsum audiamus asserentem. Scripsit enim ad Valerianum, episcopum Iconii, haec: CYRILLUS: « At, quoniam comperio stolidos quosdam circumcursare et dicere obtinuisse apud omnes piissimos episcopos Orientis vaniloquium Nestorii, illudque ipsis recte se habere videri, meque

[1] ZACH., VII, 11. — [2] Locum non repperi. — [3] *Psalm.* XCV, 11. — [4] *P. Gr.*, LXXVII, 173.

censuisse illi potius adhaerendum, necesse est ut hoc quoque aliud indicem. Omnes nempe piissimi, qui in Oriente sunt, episcopi, una cum domino meo piissimo episcopo civitatis Antiochenorum Iohanne, scripta etiam et publica confessione manifeste ostenderunt * omnibus polluta et inania Nestorii verba se damnare et anathematizare nobiscum, seque nullo unquam loco ea habuisse, sed evangelicis et apostolicis dogmatibus adhaerere, et confessionem Patrum nullo modo vexare. Nam et ipsi confessi sunt nobiscum θεοτόκον esse sanctam Virginem, neque addiderunt χριστοτόκον aut ἀνθρωποτόκον, quemadmodum dicunt qui lamentabiles exsecrandasque Nestorii opiniones tuentur. Dixerunt quippe etiam manifeste unum esse Christum et Filium et Dominum, Verbum Deum ex Deo et Patre ante saecula ineffabiliter genitum, novissimis autem temporibus eundem et ex muliere secundum carnem *natum*, ita ut idem sit Deus simul et homo, perfectus in deitate, perfectus idem in humanitate, unamque esse eius personam credunt, nulla ratione *illum* dispertientes in duos filios aut christos aut dominos [1].»

Haec sunt quorum causa, cum ad Iohannem scriberet et ad ceteros episcopos Orientis, illa verba gratiarum actionis ab exordio proferebat: Laetentur caeli et exsultet terra [2]. Insuper, addebat et haec alia: CYRILLUS: « Cum in has sacras voces vestras incidissemus, et nosmetipsos invenissemus ita sentientes, — unus enim Dominus, una fides, unum baptisma [3], — glorificavimus Salvatorem omnium nostrum Deum, nobis invicem congratulantes, quod Scripturis inspiratis et traditioni nostrorum sanctorum Patrum congruens fides in ecclesiis et nostris et vestris habeatur [4].»

CAPUT TERTIUM

Quod eodem modo mentitur *Grammaticus* dicens sanctum Cyrillum verba, quae apposuit ex apologia Orientalium, ut sua agnovisse. — Demonstratio huius *assertionis:* etiam ea, quae ab istis imperfecte

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 276. — [2] *Psalm.* XCV, 11. — [3] *Ephes.*, IV, 5. — [4] *P. Gr.*, LXXVII, 177.

dicta fuerant, sanavit hic Doctor, dum illa protulit, rescribendo ex duabus naturis unionem esse proclamandam; quam *formulam* Nestorius et Chalcedonenses impugnarunt, eligentes *formulam* « in duabus naturis ». — Quod Epistula ad Acacium adversatur, minime vero consentit, Chalcedonensibus, ut dixit ille ignarus.

Sed Grammaticus, amator veritatis, postquam laeta dixit illa verba clara sancti Cyrilli, quae clamant ea, quorum causa gavisus est unione ad Orientales, audet calumniari sapientem gubernatorem, impietatem testimonio carentem texens. Selegit ex confessione Orientalium ea tantum verba circa quae, cum crassiora essent, indulgentia usus est *Cyrillus*, et ea quae, cum interpretationem sapientem et salutarem ab ipso obtinuissent, correxit, tanquam sua verba *Cyrillum* agnovisse asserit, iisque gavisum esse, ob illa exsultavisse atque in illis sibi complacuisse. Scripsit autem sic iste, qui multoties sibimetipsi perditionem sanxit, dicente sacro sermone per prophetam universorum Deo psallentem: « Perdes omnes qui loquuntur mendacium [1]», et: « In veritate tua disperdes illos [2] »: GRAMMATICUS: « Quod autem maximum est, et, quo posito, omnis calliditas sermonis inutilis evadit: Orientalibus tunc segregatis mendaci quadam opinione, Deus, qui separatos coniungit, eos, qui eadem * sentiebant, ad concordiam adduxit; et Orientales scripta direxerunt ad episcopum civitatis Alexandrinorum, fidem suam profitentes et hoc scribentes: « Evangelicas autem de Domino voces scimus viros theologos alias quidem communes facere tanquam ad unam personam *pertinentes*, alias vero discernere, tanquam ad duas naturas *pertinentes* [3]». Sic magnus ille vir deifer scriptis gavisus est, et illa *ut* sua agnovit, ita ut mirabundus laudaret, alta voce exordiens: « Laetentur caeli et exsultet terra [4]». Vere dicto gaudebat, nesciebatque quomodo iucunditati indulgeret [5].»

Cuinam ergo vis nos adiungi? Tibine, qui mentiris et desipis inaniter atque contra testimonia scripta exsurgis stolida cum temeritate, an scriptis eximii Cyrilli, quem virum deiferum vocas? Si enim ea, quae apposuisti, ut sua agnovisset, quemadmodum dicis, et mirabundus laudavisset, cur, ad Valerianum

[1] *Psalm.* V, 7. — [2] *Psalm.* LIII, 7. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 172. — [4] *Psalm.* XCV, 11. — [5] Locum non repperi.

scribens, ea, quibus ornari, gloriari et omni laude dignus haberi debuisset, omisit? Debuisset dicere iuxta te: Haec *ut* mea agnovi; verbis meis usi sunt cum dixerunt: « Evangelicas autem de Domino voces scimus viros theologos alias quidem communes facere, tanquam ad unam personam *pertinentes*, alias vero discernere tanquam ad duas naturas *pertinentes* ». Sed nihil huiusmodi videtur scripsisse, neque ad Valerianum, neque tandem ad quemlibet alium. Nullibi dixit, sicut tibi
* p. 23. soli placuit * dicere « Has voces ut meas agnovi ». Quomodo ergo ea, quae sanatione indigere noverat, et ea quae sapientibus explicationibus ad rectum sensum convertebat, — sin autem, ostende illa verba in uno ex scriptis sancti Cyrilli reperiri, et vincimur, — quomodo, *dico*, ea ipsius vocas?

Sed ea, quorum causa ad unionem cum Orientalibus properavit, et ea quae ut magna et mirabilia emendavit, et ea, de quibus cum illis consensit, manifeste recenset scribens ad Valerianum: CYRILLUS: « Inanes et pollutas voces Nestorii anathematizaverunt; ... sanctam Virginem θεοτόκον confessi sunt, neque adiecerunt se dicere etiam ἀνθρωποτόκον; ...unum Christum confessi sunt atque eundem, id est... eundem Deum et hominem[1].» Haec et in epistula ad Acacium, episcopum Militinae, dicit, dum ea ostendit, quae hac unione ab ipso restituta sunt: CYRILLUS: «Volebant enim aboleri quidem ea omnia, quae a me scripta sunt, sive in epistulis, sive in tomis et in libris, nos autem omnes consentire soli fidei quae Nicaeae edita fuit a sanctis Patribus nostris. Ego vero ad ista scripsi: Expositioni quidem fidei, quae edita fuit a sanctis Patribus in nicaena civitate, adhaeremus omnes, nihil prorsus eorum, quae in ipsa continentur, immutantes; sunt enim in ipsa omnia recte et irreprehensibiliter *dicta*, nec quidquam amplius post ipsam tutum est. Quae vero recte scripsimus contra blasphemias Nestorii, nulla ratio nobis suadebit ut ea bene se habere negemus. Oporteret autem potius ut, iuxta id quod placuit etiam piissimo Christique amantissimo imperatori et ipsi sanctae synodo
* p. 24. * in ephesina civitate congregatae, eicerent eum qui contra gloriam Salvatoris nostri pugnavit, et anathematizarent impias

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 276.

eius blasphemias, profiterentur eius depositionem et approbarent ordinationem episcopalem venerabilis et pii episcopi Maximiani[1].»

Et ad Aristolaum tribunum, in epistula, cuius titulus est « Dominus meus religiosissimus episcopus Beronicianus », scripsit ea, quae morositatem et contentiosum animum ostendunt Orientalium, morbo Nestorii laborantium, sic: CYRILLUS: «Quia vero dicunt nos debere nihil amplius expetere quam ea, quae in imperiali et pio scripto *habentur*, et hoc petunt a tua Excellentia, dignare, iuvando opinionem omnium, adducere eos ad anathematizandum Nestorium et polluta eius dogmata, eumque *ut* depositioni subiectum habendum[2].» In alia vero epistula, cuius initium est: « Virtutem piorum mandatorum, quae nuper ad tuam Mirabilitatem transmissa sunt, didicerunt omnes », ad hunc ipsum tribunum scripsit sic: CYRILLUS: « Orabam quidem ut omnes, qui in Oriente, piissimi episcopi vel ipsam suspicionem prorsus a principio vitarent vesaniae Nestorii, et puram omnique inquinamento liberam opinionem, ipsumque cor, habuissent. Sic enim recte tractantes verbum veritatis[3], coronam, qua ipsos insigniri decet, necterent. Sed, ut audio, quidam lingua quidem et verbis anathematizant insipientem Nestorium, audent autem rursus ea, * quae ipsius sunt, sapere et loqui. * p. 25. Incredibile prorsus est dari huiusmodi homines inter eos, qui sacerdotium sortiti sunt. Quia vero multus est rumor, neque contemptibiles, sed potius omni reverentia et fide dignae sunt personae haec testantium, dignetur tua Excellentia, semetipsam Deo commendans, attentiorem diligentiam adhibere, ut illi, qui praecipue in mala suspicione sunt, anathematizent immundum Nestorium ob multas eius blasphemias[4].» ET POST ALIA: « Si vero quidam anathematizant verbo et lingua, et alia sapiunt, et postea audent loqui, videant periculum sibi impendens a Deo, et definitionem prolatam a synodo universali Ephesi congregata. Definivit enim eos, qui Nestorii placita loquuntur aut sapiunt, etiamsi episcopi sint vel clerici, repellendos esse a sacerdotio suo. Neque dicant: « Nescimus synodum esse

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 184. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 323 (latine tantum). — [3] II *Timoth.*, II, 15. — [4] *P. Gr.*, LXXVII, 325 (latine tantum).

Ephesi congregatam», ne nos quoque illos abnegemus, nescientes illos esse episcopos[1].»

His renitentibus verbis, cum defatigatione et labore, cum modo quidem redargueret, modo vero *verba* culpationis cohiberet et increpationem communem ad quosdam limitaret, dicendo: CYRILLUS: « Sed, ut audio, quidam...[2]», rursusque: «...ut illi, qui praecipue in mala suspicione sunt, anathematizent immundum Nestorium[3]», modo etiam minaretur et timorem canonum obtenderet, dicendo: CYRILLUS: « Neque dicant: « Nescimus synodum esse in civitate Ephesiorum congregatam », ne nos quoque illos abnegemus, nescientes illos esse episcopos[4]», tandem aliquando *res* ipsi contigit, * cum Iohannes, episcopus Antiochenorum, et subditi eius scripserunt quod, si reciperetur confessio ipsorum, quam ediderant apologiam circa fidem facientes, tunc etiam Nestorius ab ipsis deponeretur, et polluta eius dogmata anathematizarentur cum illo. Porro, quae scripta et posita sunt cum ipsa confessione hoc modo se habent: ORIENTALIUM *verba*: « Qua *fide* suscepta, placuit, ad abolitionem omnis contentionis, utque pax universalis detur in ecclesiis Dei, necnon e medio auferantur scandala quae exorta sunt, deponi a nobis Nestorium, quondam episcopum constantinopolitanum. Anathematizamus vaniloquia eius prava et polluta, propterea quod ecclesiae Dei, quae apud nos sunt, fidem rectam et sanam habent, eamque custodiunt et tradunt populis, sicut et vestra Sanctitas. Consentimus autem etiam ordinationi episcopali venerabilis Maximiani, episcopi ecclesiae Dei constantinopolitanae et communicamus universis orbis terrae religiosissimis episcopis, qui fidem rectam tenent et custodiunt[5].»

Haec postquam restituit athleta orthodoxiae, canit verba victoriae et laetitiae, rescribendo[6]: CYRILLUS: « Laetentur caeli et exsultet terra. Solutus enim est paries medius[7].» Propterea indulgentia usus est quoad verba crassa, quae medie se habe-

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 326. — [2] *Ibid.*, 325. — [3] *Ibid.*, 325. — [4] *Ibid.*, 326. — [5] *Ibid.*, 173. — [6] Nota marginalis explicat loquutionem syriacam quam vertimus voce « rescribendo », dicitque hoc fieri « quando quis scribit responsum ad ea, quae scripta sunt ad ipsum ». — [7] *P. Gr.*, LXXVII, 173.

bant et explicatione ab ipso data ad congruum *sensum* redacta sunt atque affabre aptata. * Cum ergo dixissent illi: EPISCOPI ORIENTALES: « Duarum enim naturarum facta est unio[1]», quin adderent quaenam unio *facta esset*, eamque in medio reliquissent, et siluissent de mendacis nominis *unione*, quae ex auctoritate concipitur et ex aequalitate honoris, et ex similitudine nominis[2], et *de unione* filiationis, quae tanquam per nomen commune *constituitur*, ut verba stulta Nestorii volunt; rursusque, cum non nominavissent naturalem et veram, hypostaticam dico, unionem, qua Verbum Dei, sicut nos, communicavit sanguini et carni animam habenti rationalem, sapiens doctor velut parvulos balbutientes ad planum os *illos* evexit.

Non autem recedam ab exemplo, largiente mihi veritate ut illo utar, etsi dirumperis, o stolidissime omnium, qui unquam fuerunt, stolidorum grammaticorum, et docente ut unionem ex duabus naturis intelligamus, unde efficitur ut confiteamur unum eundemque Christum Deum et hominem, unamque personam et unam hypostasim et naturam, nempe Verbi, incarnatam. Quid enim ad Iohannem, episcopum Antiochiae, et ad episcopos ipsi subditos rescribens dicit? CYRILLUS: « Unus enim *est* Dominus Iesus Christus, quamvis differentia naturarum agnoscatur, ex quibus dicimus factam esse unionem ineffabilem[3].» Haec ergo, nonne doctrina sunt, quae imperfectos ad confessionem perfectam et legitimam erudit? Nonne haec est aperta medicina, quae aegrotos salubribus curis ad sanitatem evehit? His si non credas, crede testimonio adversariorum. Vide Nestorium, veluti furore correptum * atque vincula medici rumpere conantem, ne patiatur proficuam incisuram, aut cauterium, aut aliud quoddam ex acribus medicamentis, quibus quidquid morbum producit, removetur. Scripsit enim ex exsilio ad Theodoretum, vituperans ea, quae a sancto Cyrillo ad episcopos Orientis scripta erant, — quae iam in praecedentibus inquisitionibus a nobis allata sunt, — sic: NESTORIUS: « Quid enim dicit: « quamvis differentia naturarum agnoscatur, ex quibus dicimus factam esse unionem ineffabilem » ? Illud rursus

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 172. — [2] ψευδωνύμος, αὐθεντία, ἰσοτιμία, ὁμωνυμία. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 180.

ἐξ ὧν quasi de partibus invicem respondentibus[1] circa domi-
nicas naturas dicit, quae in unam evaserunt. Dicendum enim
ipsi fuisset, non ἐξ ὧν, sed ὧν, unionem ineffabilem dicimus
factam esse. Non enim ex naturis, sed ipsarum naturarum est
unio ineffabilis[2].»

Hac *vocula* ἐξ sanavit sagacissimus Cyrillus confessionem
parum accuratam Orientalium; illam autem impugnavit Nes-
torius, ut audivimus; impugnavit autem *illam* cum ipso[3] etiam
synodus chalcedonensis, quae se armavit adversus hanc vocu-
lam, reiecit definitionem ex ipsa efformatam, quae ἐκ δύο φύ-
σεων oportere ut confiteamur *Christum* asserit, et eius loco
alteram induxit, quae legitimam statuit *formulam* κατ'ἀντι-
παράθεσιν oppositam, *nempe* oportere ut confiteamur ἐν δύο
φύσεσιν proclamandum esse Christum, cum veneranda adiunc-
tione ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως ita ut videantur et proferre
et confiteri eadem cum ipso Nestorio, qui eodem modo ac illi
scripsit de Christo, sicut ostendi: NESTORIUS: « ...sed unus et
idem qui videtur in natura increata et creata[4].» Rursusque,
in alia oratione, * cui titulus « De fide », seu « Expositio fi- * p. 29.
dei », cuius exordium est « Confitemur dogma: ὁμοούσιος[5] »:
NESTORIUS: « ...ut per omnia et ipsae duae naturae perfectae
et inconfusae et indivisae in domino nostro Christo videantur,
et omnis natura sua agnoscat[6].» Et rursus: « ...ex quibus
apparet unus Filius ἐν δύο φύσεσιν, divina et humana, visi-
bili et invisibili, iudicium futurum facturus. Proinde, quemad-
modum in utraque natura unus est iudex, sic etiam in utraque
natura unus est Filius quia, iuxta sententiam Apostolorum[7],
invisibilis Deus Verbum in viro visibili, quem etiam a mortuis
suscitavit, facturus est iudicium, et est unus iudex in unaqua-
que ex naturis, sicut etiam unus Filius in utraque natura[8].»

Igitur controversia rursus nulla est, quin ii, qui patrocinium
suscipiunt Chalcedonensium, adversentur quidem *sententiis*
sancti Cyrilli, foveant vero *placita* Nestorii. Utique afferunt
verba ex confessione Orientalium *desumpta*, sed hoc faciunt

[1] κατάλληλος? — [2] LOOFS, p. 197. — [3] Nota marginalis explicat « cum ipso » per « sicut Nestorius ». — [4] LOOFS, p. 330. — [5] *Ibid.*, p. 329. — [6] *Ibid.*, p. 330. — [7] *Act.*, XVII, 31. — [8] LOOFS, p. 330.

postquam verbis sapientis medici et doctoris illa expediverunt.
At res apud neminem in controversiam venit, immo manifes-
tissima est et ante oculos omnium posita. Nam in ipsa sanatione
didascalicum sermonem usurpans, Doctor etiam in epistula ad
Acacium, episcopum militinum, scripsit haec: CYRILLUS: « Cum
itaque modus incarnationis studiose inquiritur, duo inter se
ineffabiliter et inconfuse secundum unionem coniuncta videt
prorsus intellectus humanus; attamen, ubi unita sunt, nullo
modo ea disiungit, sed unum, qui ex duobus, et Deum et Filium
et Christum * et Dominum esse credit et inconcusse admittit[1].» * p. 30.
En manifesto didicimus quomodo oporteat explanemus *verba*
Orientalium, et quomodo unionem ἐκ δύο. Intellectus humanus,
ait, studiose inquirens modum inhumanationis, videt duo inter
se ineffabiliter et inconfuse coniuncta secundum unionem. At,
quae sola mente concipiuntur et veluti cogitatione discernuntur
et apparent, post cogitationem unionis iam non est dicere
duo, quia non in singularibus et propriis subsistentiis subsis-
tunt, sed, dum in compositione absque ulla imminutione et
mutatione subsistunt, unam perficiunt ex duobus hyposta-
sim et naturam Filii incarnatam et inhumanatam.

Rursusque illum audi haec dicentem in ipsa epistula ad
Acacium: CYRILLUS: « Quapropter, ea ex quibus est unus et
solus Filius et Dominus Iesus Christus velut in cogitationibus
apprehendentes, duas quidem naturas unitas esse dicimus;
verum, post unionem, tanquam sublata iam sectione in duas,
unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, sed inhu-
manati et incarnati[2].» Quid autem sibi velit illud « sublata
post unionem sectione in duas », ipse rursus dicit, ad Succen-
sum iterum scribens et his cognata docens, ut multoties in
anterioribus elucidatum est: CYRILLUS: « Sit autem nobis
rursus in exemplum homo nostri similis. Duas namque natu-
ras etiam de ipso intelligimus, animae unam, corporis autem
alteram. Sed meris cogitationibus separantes et subtilibus quo-
dam modo contemplationibus seu phantasiis intellectus diffe-
rentiam * apprehendentes, non ponimus seorsum naturas, neque * p. 31.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 193. — [2] *Ibid.*, 192. Nota marginalis in cod. C monet vocem « incarnati » hoc loco dici de Filio.

perfecte virtutem sectionis in illas permittimus, sed unum illas esse intelligimus, ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur [1].»

Itaque, propter quaenam verba aut quamnam sententiam *epistulae,* o seductor et plene totius impietatis atque temeritatis, ausus es scribere: GRAMMATICUS: « Sed epistulam ad Acacium, quae magna est et plena laudibus dogmatum nostrorum, quam ne respicere quidem valent, iis, qui eam adire voluerint, relinquo [2]» ? Quid enim ex iis, quae habentur in epistula ad Acacium quaeque modo apposuimus, in definitione Chalcedonensium et in Tomo Leonis invenitur? Quidnam ex illis? Quod ἐκ δύο confiteamur unum Christum? At hoc manifeste non tantum *in illis* non habetur, sed etiam excluditur ab illis. Sin minus, utique dixissent: « Post unionem, tollitur sectio in duas, ita ut illae duae non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur ». At nec hoc dixerunt, sed contra definiverunt in duabus naturis inseparatis et indivisis agnoscendum esse Christum, sicut et Nestorius, cui in omnibus adhaerent, tum reiciendo ut infensam confessionem Emmanuelis ἐκ δύο φύσεων, tum eligendo et praedicando id, quod ipsi *Nestorio* placet, tum dualitate post unionem dividendo indivisibilem *Christum* in naturas inseparatas et indivisas: in hoc enim congrua habetur indicatio. Sin aliter, *formulam* μία φύσις τοῦ Υἱοῦ ἐνανθρωπήσαντος καὶ σεσαρκωμένου, quae habetur *in epistula ad Acacium, potesne nobis ostendere praedicavisse eos, qui in Chalcedone congregati sunt? Minime. Itaque, si verbis doctrinisque ipsius epistulae, orthodoxiae indicativis, quibus sapiens medicus et doctor eos, qui condescensione ipsius digni visi sunt, sanavit et docuit, carent Chalcedonenses, iisque omnibus destituuntur, quomodo non valde irridendus, immo potius deflendus es propter stoliditatem *tuam* ab iis, qui intelligentiam habent, ubi dicis: GRAMMATICUS: « Sed epistulam ad Acacium, quae magna est et plena laudibus dogmatum nostrorum, quam ne respicere quidem valent, iis, qui eam adire voluerint, relinquo [3]» ?

* p. 32.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 245. — [2] Locum non repperi. — [3] Locum non repperi.

CAPUT QUARTUM

Rursus, confutatio demonstrativa perfecta ex epistula ad Acacium, quae ostendit expresse dixisse sanctum Cyrillum non esse sua verba illa, quae impius *Grammaticus* asseruit illum agnovisse ut sua. — Quod illud turpe auditu, ab ipsis Orientalibus dictum, *scilicet* dividendas esse voces de Christo *prolatas,* medici et doctoris more sanans *Cyrillus,* cognitionem differentiae vocum dicit adesse, ad hoc ut cognoscamus quaenam quidem Deum deceant, quaenam vero deceant humanitatem, minime vero *adesse* divisionem, qua has divina natura, illas autem humana loquatur, sed unus Christus, qui ex utraque *natura constituitur,* omnes indivise loquitur.

Animadverte autem quod et alia, cum spoliata sint explicatione Doctoris et salutari remedio, profers. * Cum enim Orientales scripsissent: EPISCOPI ORIENTALES: « Voces autem evangelicas et apostolicas de Domino scimus viros deiferos alias quidem communes facere, tanquam ad unam personam *pertinentes,* alias autem discernere, tanquam *pertinentes* ad duas naturas [1]», piscator sapiens, semel prius posito fundamento unionis per explicationem, itemque per hoc, quod dixit: « ...quamvis differentia naturarum agnoscatur, ex quibus dicimus factam esse unionem ineffabilem [2]», — cum illud ἐκ δύο utique efficiat ut una natura et hypostasis sit Dei Verbi incarnata, minime vero duae post cogitationem unionis, — consequenter, ipsam separationem vocum non *ut* divisionem intelligit, iuxta studium eorum, qui Nestorii sententias tenent, sed *ut* differentiam et distinctionem, quia quaedam *voces* conveniunt divinitati, quaedam autem conveniunt humanitati, quaedam tandem communiter et simul exhibent id, quod Deo dignum est simul et humanum. Subsistente namque una natura et hypostasi Verbi incarnata, per concursum ineffabilem ex duobus in unionem divinitatis et humanitatis et unius personae et unius Christi atque Domini, quomodo ille unus, qui etiam idem est, voces dividet, et non *potius* eiusdem eas omnes indivise esse dicemus, eique eas adscribemus? At vero, duabus naturis

* p. 33.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 172. — [2] *Ibid.*, 180.

post unionem proclamatis, necessario cum duplicitate naturarum semoventur etiam voces, ac proinde seponet unaquaeque ex illis *naturis* ea, quae ipsi conveniunt, atque loquetur.

Et pronum est illud clare perspicere ex iis, quae sanctus Cyrillus, in tomo secundo adversus blasphemias *Nestorii, hunc iniquum producit scribentem: NESTORIUS: « Omnibus choris eiusmodi sectae Arii, Eunomii et Apollinarii studium est τὸ θεοτόκος inducendi, ut, commixtione facta, duabusque naturis non separatis, nihil ex vilioribus accipiatur de humanitate, ac pateat proinde locus ipsis adversus divinitatem, quasi omnibus dictis ab uno, non secundum dignitatem ex adhaesione, sed secundum naturam[1].» Contra quae confutationem struit sapienter CYRILLUS: « At vero hic noster inventor recentissimae fidei, quamvis unum Christum simulate dicat, dividit ubique naturas et unamquamque seorsum ponit, non vere asserens illas inter se unitas esse; praetexens autem praetextus in peccatis[2], sicut scriptum est, excogitat modum quemdam adhaesionis, qui *nempe* solummodo est, ut dixi, secundum aequalitatem dignitatis, sicut etiam ex verbis eius ostendetur; et inhabitare quidem facit per participationem, ut in quovis uno homine, ipsum ex Deo Verbum, dividit vero evangelicas voces, ita ut modo nonnullas Verbo soli et proprie *considerato* tribuat, modo autem seorsum ei, qui *est* ex muliere. Attamen, quomodo omnibus non sit indubium, cum Deus esset secundum naturam, factum esse hominem Unigenitum, non adhaesione simpliciter extrinsecus excogitata aut affectiva[3], ut ille ait, sed vera unione ineffabiliter et incomprehensibiliter? Sicque unus concipitur et solus; omne autem dictum ipsi convenit et velut ex una persona omnia dicentur; *una enim iam concipitur natura post unionem, *natura* nempe Verbi incarnata, sicut etiam circa nosmetipsos convenienter concipitur: homo enim revera unus est, compositus ex rebus dissimilibus, *ex* anima, inquam, et corpore. Porro notandum etiam nunc est, corpus illud, quod unitum est Verbo, a nobis dici animatum anima rationali; utiliter autem et hoc alterum addemus: etenim alia a Verbo, quod *est* ex Deo, est caro secundum rationem

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 64. — [2] *Psalm.* CXL, 4. — [3] σχετική.

suae naturae et alia est secundum essentiam natura ipsius Verbi. Sed quamvis intelligantur diversa et differentia naturali disiuncta ea, quae dicta sunt, attamen unus ex utroque intelligitur Christus secundum unionem veram, unitis inter se divinitate et humanitate[1].»

Considerandum est quomodo, dum culpat Nestorium propter divisionem naturarum et adhaesionem ex dignitate, sic simul increpet et eidem culpationi subiciat τὸ separari et distribui et dividi naturis ipsas voces; locus enim prorsus nullus est divisioni vocum, cum non subsistant duae naturae. Illud autem alterum etiam consideremus, quomodo *nempe* Nestorius dixerit: NESTORIUS: « ...ut, commixtione facta, duabusque naturis non separatis, nihil ex vilioribus accipiatur de humanitate[2].» Non addidit: « ac pateat proinde locus ipsis, quasi omnibus de divinitate dictis ab una natura », sed dixit: « quasi omnibus dictis ab uno ». Mos enim ipsis est, ut naturas quidem primum ponant, sed ad personam Dei et hominis postremo deveniant. Quapropter * etiam eximius Cyrillus, postquam dixerat: CYRILLUS: « Dividit ubique naturas et unamquamque seorsum ponit », perrexit: « Dividit vero evangelicas voces, ita ut modo nonnullas tribuat proprie Verbo soli, modo autem seorsum ei, qui *est* ex muliere[3].» Sic etiam infra in hoc ipso tomo secundo, et haec dixit: CYRILLUS: « Iste vero, sursum deorsum dictitans: « unus Filius, non alius et alius, neque rursus primus Christus et secundus Christus[4]», cum suis verbis pugnat, duabus personis et hypostasibus propriis dividens voces, tum theologorum, tum ipsius *Christi*[5].» Docens autem sapienter quid sit non dividere naturas, ut destrueret et divisionem naturarum dixit: CYRILLUS: « Ita, unus concipitur et solus, et omne dictum ipsi convenit, et velut ex una persona omnia dicentur: una enim concipitur iam natura post unionem, *natura nempe* ipsius Verbi incarnata[6].»

Attamen, si duo post cogitationem unionis liceret dicere, et non sola mente et contemplatione separaremus ea, ex quibus unio *facta est,* atque perspiceremus aliud et aliud *illa* esse

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 60. — [2] *Ibid.*, 64. — [3] *Ibid.*, 60. — [4] *Ibid.*, 84. — [5] *Ibid.*, 100. — [6] *Ibid.*, 60.

secundum differentiam essentiae, non autem per hoc quod singillatim subsistant et propria sua existentia, — quomodo enim ea, quae in compositione sunt, *ita subsisterent?* — certissime diceret Cyrillus: « Duae autem iam concipiuntur naturae post unionem unitae et indivisae ». At nullibi invenire est magistrum hoc dicentem. Quapropter etiam dicit: CYRILLUS: « Sed quamvis intelligantur diversa et naturali differentia seiuncta ea, quae dicta sunt, * unus tamen ex utroque intelli- (* p. 37.) gitur Christus secundum unionem veram, unitis inter se divinitate et humanitate[1].» Sic ergo, cum Orientales dixissent: « Duarum enim naturarum facta est unio[2]», per contemplationem intellectus tantum et imaginationem concedit *Cyrillus* ut duo consideremus; sed secundum rem, unam naturam ex duobus *iubet* nos confiteri, *scilicet naturam* Verbi incarnatam, Nestorio etiam secundum rem dicente duas naturas singillatim subsistentes vel post ementiti nominis unionem, id est, *post* adhaesionem ex dignitate et aequalitate honoris. Etenim unio vera destruit dualitatem, ita ut ea, quae contemplatione mentis videntur duo, iam non sint duo, sed utroque unum absolvatur.

Audiamusque rursus, si placet, eadem plenius *proposita*, quae reperiuntur in epistula ad Acacium, quam Grammaticus, inter alia mendacia, asseruit plenam esse laudibus dogmatum *suorum* sententiaeque suae immundae, nesciens neque ea, quibus aegrotet, neque ea, quae manifestum faciant morbum ipsius. CYRILLUS: «Cum itaque modus incarnationis studiose inquiritur, duo inter se ineffabiliter et inconfuse coniuncta secundum unionem videt prorsus intellectus humanus; ubi vero unita sunt, minime ea disiungit, sed unum, qui ex utroque, et Deum et Filium et Christum et Dominum esse credit et inconcusse admittit[3]». Et postquam illa scripsit ex propria expositione, *scilicet* τὰ δύο sola mente videri et distinctione subtili secundum cogitationem, et cogitationem unionis secum introducere unum * qui ex duobus, Christum, — haec quidem Orientales non (* p. 38.) dixerant, sed ut magister existens et condescensione utens erga aegrotantes et imperfecte loquentes, ad illos illuminandos con-

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 61. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 172. — [3] *Ibid.*, 193.

cedebat formam institutionis et modum oeconomiae apostolicae, — tunc perrexit: CYRILLUS: « Diversa prorsus est ab illa *doctrina* vesania Nestorii. Simulat utique se confiteri et incarnatum et inhumanatum esse, cum Deus esset, Verbum; at vero, ignorans virtutem τοῦ incarnari, duas naturas nominat, easque a se invicem divellit, et Deum seorsum ponit et similiter hominem seorsum habitudine quadam Deo copulatum secundum solam aequalitatem honoris seu auctoritatem. Dixit enim sic: [NESTORII, QUEM ADDUXIT CYRILLUS]: « Inseparatus Deus a visibili; ideo, inseparati non separo honorem; separo naturas, sed unio adorationem.» [CYRILLUS]: At vero Antiocheni fratres, ea ex quibus intelligitur Christus *constitutus* quasi in cogitationibus accipientes, naturarum quidem dixerunt differentiam, — quia, ut dixi, non idem est secundum qualitatem naturalem divinitas et humanitas, — unum autem Filium et Christum et Dominum, et, utpote unius revera existentis, unam esse personam eius dicunt[1].» En, manifesto indicavit contemplatione mentis [tantum] duas naturas agnoscendas et velut cogitatione subtili separandas, secundum rem vero eum, qui ex duobus, proclamandum unum Christum, tanquam una natura existente unaque hypostasi, nempe Verbi incarnata.

Opposita sunt dogmata Nestorii, qui duas naturas secundum rem dicit, ita ut etiam necessario a * se invicem disiungamus (* p. 39.) eas, et Deus seorsum ponatur et singillatim homo. Ideo etiam adversus confessionem Christi ἐκ δύο, et ipse et synodus chalcedonensis pugnarunt. Vide enim quam coniunctim id, quod diximus, scripserit, sicque ex ordine attulerit confutationem, cum occurrisset iam ipsi retorsioni, dicens [CYRILLUS]: « Sed dicam, o boni: Scripsimus in capitibus: qui duabus personis vel hypostasibus dividit voces, et alias quidem tanquam homini seorsum a Verbo Dei intellecto tribuit, alias autem tanquam Deo dignas, *tribuit* Verbo soli, quod ex Deo Patre *est*, ille damnationi sit obnoxius. Differentiam autem vocum nullo modo sustulimus, quamvis abhorrescamus ab illis dividendis, tanquam Filio seorsum, Verbo, quod ex Deo Patre *est*, rursusque tanquam homini, qui ex muliere, seorsum intellecto filio. Una enim certissime est

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 193.

natura Verbi; scimus autem eam incarnatam esse atque inhumanatam, sicut iam antea diximus[1].» Ubi enim unus ex duobus proclamatur Christus, unaque natura et hypostasis Verbi incarnata, distinctio vocum, non divisio vel disiunctio intelligitur. Cuinam enim dividerentur, sicut antea diximus, ubi una persona, una hypostasis atque natura Filii incarnata et inhumanata *eas* loquitur, eique omnes voces adscribuntur, et quae Deum decent et humanae? At ubi duae naturae prodeunt post unionem, unaquaeque ex naturis ex propria persona voces congruentes, Dei *natura* divinas et hominis humanas, separatim accipit et loquitur, iuxta Tomum Leonis, in quo haec habentur: LEO: « Non eiusdem naturae est dicere: « Ego * et Pater unum sumus », et dicere: « Pater meus maior me est[2]. » En manifesto unicuique ex naturis verba eius attribuit, et ait hanc quidem hoc, illam autem illud dicere; hoc autem divisio est atque separatio vocum. Si vero unum, qui ex duobus, Christum confiteretur, et differentiam tantum vocum agnosceret, diceret Deo dignum quidem esse dicere: «Ego et Pater unum sumus», humanum vero rursus dicere: «Pater meus maior me est», vel naturae quidem divinae congruere hoc, naturae vero humanae congruere illud, sed unum Christum Iesum, qui ex duabus, *scilicet* ex divinitate et ex humanitate *constituitur*, et hoc et illud loqui. Erat enim simul Deus et homo idem revera, diversitate vocum non divisus.

* p. 40.

Referre vero voces ad unamquamque ex naturis, eorum qui dividunt Emmanuelem est, quique simul cum naturis dividunt etiam voces. Ita impius Theodoretus, in reprehensione decimi inter capita, quae sunt anathematismi, scripsit: THEODORETUS: « Sed quod ex semine David assumptum est ab ipso, quod mortale, quod passibile, quod timuit mortem, licet hoc ipsum postea destruxerit potestatem mortis propter unionem ad assumentem Deum; quod per omnem iustitiam ambulavit et ad Iohannem dixit[3]: « Sine modo; sic enim decet nos complere omnem iustitiam[4]». Nonne ergo manifesta est haec divisio vocum, si illud quod ex semine David *est*, singularem vocem assumat et ad

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 193. — [2] *P. Lat.*, LIV, 769. — [3] MATTH., III, 15. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 437.

Iohannem dicat: « Sine modo »? Et si unitum est Verbo, idemque est, ex Deo quidem divinitus, ex semine David humanitus, cur id, quod ex * semine David *est*, in proprietate personae loquitur et separatim profert voces proprias? Quod enim ex semine David subobscure ab illo *Theodoreto* et a sociis eius dicitur, est homo, qui ex Maria *natus est*, sicut volunt dicere isti miseri, et sicut sanctus Cyrillus, in oratione ad Diodorum, huiusmodi mendacium reprehendens, scripsit: CYRILLUS: « Si propheta est prorsus et absolute, quemadmodum asseris diceréque non dubitas, is qui accipit donum spiritus et praedicit futura, rursusque spiritum ministrat, sed placet tibi prophetam non esse dicendum Verbum, quod ex Deo Patre *est*, quisnam ille *est*, qui accepit donum spiritus et ministravit illud per revelationem futurorum? Sed forsan dices: quod ex semine David seu, ut dixisti, homo nazaraeus. Propheta ergo est, praetereaque nihil, paulo excelsior nostris, sed nullo modo, amplitudine dico et gloria, adaequatus Deo Verbo, siquidem *Verbum* est dator spiritus, ille autem minister doni quod a Spiritu *tribuitur*. Atqui, quomodo Scriptura inspirata Spiritum sanctum spiritum Iesu vocavit? Dicit enim[1]: « Tentabant ire in Bithyniam, et non permisit eos spiritus Iesu[2].»

* p. 41.

At vero Nestorius, dividens unum Christum dualitate naturarum post unionem, separationem vocum *ut* divisionem agnoscit, non *ut* differentiam, dum unamquamque ex naturis inducit loquentem voces sibi congruentes, sicut Leo et Theodoretus. Nam in oratione cui titulus Cum lectum esset: « Quoties * peccabit in me frater meus et dimittam illi[3]», et prius dixisset episcopus de longanimitate[4], cuius initium est « Pulchrum quod praefatus est doctor», dixit sic: NESTORIUS: «Qui dixit: «Deus, meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me[5]?» natura humana erat, o sapiens[6].» En hic quoque, cum primo posuisset masculine « qui dixit », feminine deinde perrexit « natura humanitatis[7]». Ita solent hominem, quem dividunt a Deo Verbo, prout ipsis placet, natu-

* p. 42.

[1] *Act.*, XVI, 7. — [2] PUSEY, *In Iohann.*, t. III, p. 502. — [3] MATTH., XVIII, 21. — [4] Cfr LOOFS, p. 332 not. — [5] MATTH., 46. — [6] LOOFS, p. 360. [7] Nota marg. dicit: « Feminine dicitur « natura » in graeco ».

ram humanitatis vocare, rursusque naturam divinam *vocare* Verbum; et velamentum hominis et Dei, duorumque filiorum et christorum sunt duae naturae. Cum autem eximius Cyrillus reprehenderet hanc divisionem vocum, idque quod unicuique ex naturis vel formis tribuamus voces ipsius, eamque in singularitate personae loquentem producamus, non autem agnoscamus congruere quidem humanitati universim quasdam ex vocibus, divinitati vero alias, unum tamen, qui ex duobus, ex divinitate et humanitate *constituitur* Christum *scilicet* Iesum, Dominum et Deum, et has et illas loqui, adversus reprehensiones Theodoreti in apologia capitis quarti scripsit: Cyrillus: « Itaque omnia sunt unius Christi, Deum decentia et humana. Nam si quidem non factum est homo Verbum, quod ex Patre *est*, ne loquatur secundum nos humanitus. Si autem verum est quod sicut nos communicavit sanguini et carni et assimilatus est per omnia fratribus suis, id est nobis, cur sapientiae oeconomiae stultissime obtrectant, vocem humanam non ferentes et id, quod humile *habetur* in vocibus propter * oeconomiam, tanquam ad alium seorsum *existentem* Filium, ad formam servi, sicut ipsi dicunt, conantes referre? Stultum autem prorsus est, fingere quidem quod metuant vesaniam haereticorum, deinde traditionem rectae fidei ipsosmet extra convenientem rationem abducere. Melius autem dixerim et longe eruditius esse, voces humanas referre non ad alteram personam magis, quae intelligatur proprie et seorsum Filius, ad formam servi, sicut illi dicere solent, sed illas potius attribuere mensuris humanitatis eius. Oportebat enim eum, cum sit Deus simul et homo, per utrumque sermonem procedere [1].»

Hac rectitudine dogmatum, idem semper remanens nec unquam sanam fidei rationem immutans, sed eos, qui aliter se habent, ad veritatem adducens, agnoscit *quidem* differentiam vocum, nunquam vero divisionem unde hae quidem *voces* ab una, illae autem ab altera natura dicerentur; contra, omnes ab uno soloque Christo, id est ab una hypostasi et natura, scilicet Verbi incarnata, *dici asserit*. Quod ab Orientalibus mala voce dictum fuerat, mutavit doctoris more, separationem

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 413.

ab illis nominatam *ut* differentiam, non autem *ut* divisionem et separationem explicando. Ubi enim semel in sua ad eos responsione dixit: « ...ex quibus unionem ineffabilem dicimus esse factam», et introduxit τὸ ex duobus confiteri Emmanuelem, quod reiecit synodus chalcedonensis itemque Nestorius, tanquam destructivum duplicitatis naturarum post unionem, simul introduxit etiam destructionem divisionis * vocum, quia non subsistunt in propria sua existentia hypostases aut naturae duae, quibus congrueret illas *voces* separatim sibi vindicare vel loqui; unice vero cognoscendam esse differentiam earum, ad discernendum quaenam quidem conveniant divinitati, quaenam autem conveniant humanitati, et quaenam simul id habeant quod conveniat divinitati et humanitati, ideoque nequeant dividi et separari, vel ad modum Deo dignum aut humanum vocum adscribi, quia promiscue aliquid Deo dignum exprimunt et humanum. Sciendum autem omnes *illas voces* pariter dici indivise ab uno Christo, id est a Verbo unico inhumanato, divinitus et humanitus loquente et per formam utriusque generis vocum procedente, quia idem, cum Deus esset per naturam, propter nos oeconomice et immutabiliter factum est homo. Vocum quidem quaedam divinitati eius congruunt, quaedam autem rursus humanitati eius, neque ideo illas quidem divinitas, has autem humanitas loquitur, sed unus, qui ex utraque, divinitate et humanitate, Christus Iesus omnes loquitur; neque unius quidem ex naturis dicere est: «Ego et Pater meus unum sumus [1]», alterius autem vicissim dicere: « Pater meus maior me est [2]», sicut Tomus Leonis dicit.

Sed audiamus Doctorem haec fuse in epistula ad Acacium dicentem, et explicantem quomodo receperit id, quod ab Orientalibus dictum est, *scilicet* separandas esse voces quae scriptae habentur de Christo. Cyrillus: « At vero antiocheni fratres, ea ex quibus intelligitur unus Christus *constitutus* quasi in subtilibus tantum cogitationibus * complectentes, differentiam quidem naturarum dixerunt, quia non idem, ut dixi, in qualitate naturali divinitas et humanitas; unum autem Filium et Christum et Dominum, unamque eius, utpote unius vere existentis, personam

[1] Ioh., x, 30. — [2] *Ibid.*, xiv, 28.

esse dicunt sed nullo modo dividunt ea, quae unita sunt, neque rursus separationem naturalem recipiunt, sicut placuit sentire infelicium inventionum introductori. Separari autem solas voces, quae de Christo *dicuntur*, asserunt, easque congruere dicunt, non alias quidem, ut Filio seorsum *posito*, Verbo quod *est* ex Deo Patre, alias autem, tanquam alteri Filio, ei qui *est* ex muliere, sed alias quidem divinitati eius, alias autem rursum humanitati eius: Deus enim est idem et homo; dari autem etiam alias *voces* quodammodo communes ac velut ad utrumque, divinitatem dico et humanitatem, spectantes. Quod dico, eiusmodi est: siquidem quaedam voces potissimum conveniunt divinitati, quaedam autem rursus conveniunt humanitati, et quaedam ordinem quemdam medium tenent, ostendentes Filium Dei Deum esse simul et hominem. Etenim, cum Philippo dicit: « Tanto tempore vobiscum sum et non cognovisti me, Philippe? Non credis quia ego in Patre meo, et Pater meus in me est? Qui vidit me, vidit Patrem[1]. Ego et Pater meus unum sumus[2]», Deo convenientem dicimus ipsam vocem. Cum vero increpans turbas Iudaeorum ait: « Si filii Abrahae essetis, opera Abrahae faceretis. Nunc autem quaeritis me interficere, hominem qui veritatem * locutus sum vobis: hoc Abraham non fecit[3]», modo conveniente humanitati haec dicta esse dicimus. Verumtamen unius Filii *sunt* et quae Deo congruunt et humanae *voces*; nam cum Deus esset, factus est homo, non dimittendo se esse Deum, sed assumptione potius carnis et sanguinis factus. Quoniam vero unus est Filius et Deus et Dominus, unam esse etiam eius personam dicimus, tam nos quam ipsi. Voces autem medias illas esse dicimus ut, verbi gratia, cum beatus Paulus scribit: « Iesus Christus heri et hodie ipse et in saecula[4]», rursusque: « Nam etsi sunt qui dicantur dii sive in caelo sive in terra, sicut sunt dii multi et dominationes multae: nobis tamen unus est Deus Pater, ex quo omnia et nos ex ipso, et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum[5]», et iterum: « Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, cognatis meis secundum carnem,

* p. 46.

[1] IOH., XIV, 8,9. — [2] *Ibid.*, X, 30. — [3] *Ibid.*, VIII, 39-40. — [4] *Hebr.*, XIII, 8. — [5] I *Cor.*, VIII, 5, 6.

qui sunt Israelitae, quorum est adoptio filiorum, et gloria et testamentum et lex et ministerium et promissiones, quorum patres et ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus benedictus super omnia in saecula. Amen[1]». En Christum Iesum nominans, heri et hodie eundem dicit esse et in saecula, et per ipsum facta esse omnia, et eum qui secundum carnem ex Iudaeis *est*, Deum super omnia appellat, rursusque benedictum ait esse in saecula. Ne ergo dividas in his voces, quae de Domino *dicuntur*; habent enim * simul quod Deo convenit et quod humanum *est*; sed adapta potius illas uni Filio, hoc est, Verbo Deo incarnato[2].»

* p. 47.

Ecce notus est omnibus sensus verborum sancti Cyrilli explicantis qua ratione receperit separationem vocum, crassitiem verborum ad sensum sanum adducens, tantummodo *scilicet* ad cognoscendum differentiam *illarum, seu* quaenam quidem Deo conveniant, quaenam autem humanitati conveniant, quaenam tandem inseparatae *remaneant* propterea quod nullam differentiam inter se habeant, sed simul et Deo dignam et humanam indolem prae se ferant. Consideremus ergo num separationem ut divisionem intellexerit et, iuxta impia vaniloquia Nestorii, Theodoreti et Tomi Leonis, dixerit quasdam quidem voces naturam divinam, quasdam autem humanam loqui. Iamvero *hoc* non invenimus; nam contrarium affert, dicens: CYRILLUS: «Aliud est ergo separare naturas, idque post unionem, atque secundum aequalitatem honoris solam asserere hominem adhaesisse Deo, itemque aliud est cognoscere differentiam vocum. Quomodo igitur cum vaniloquiis Nestorii concurrunt *verba* eorum[3]?» Et cum in superiori parte ipsius epistulae divisionem iam abstulisset, *statuendo* non dicendum esse duas *naturas* post unionem, sed agnoscendam unam naturam Dei Verbi incarnatam, abstulit simul divisionem vocum; dixit enim: CYRILLUS: « Differentiam autem vocum nullo modo sustulimus, quamvis abhorrescamus ab illis dividendis, tanquam Filio seorsum, Verbo quod ex Patre *est*, rursusque tanquam homini, qui ex muliere, seorsum * intellecto filio. Una enim certissime est natura Verbi; scimus autem eam incarnatam esse atque inhumanatam[4].»

* p. 48.

[1] *Rom.*, IX, 3-5. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 193. — [3] *Ibid.*, 197. — [4] *Ibid.*, 193.

Rursusque: « Verumtamen unius Filii *sunt* et quae Deo congruunt et humanae *voces*[1].» Et iterum: « Sed adapta potius illas uni Filio, hoc est, Deo Verbo incarnato[2].» Rursusque: « Separant autem voces, non in duas personas, ut dixi, scindentes unum Filium et Dominum, sed nonnullas quidem divinitati eius tribuentes, alias autem rursus eius humanitati, sed omnes unius *esse declarantes,* quin has quidem una, illas autem *voces* altera natura loquatur[3].»

Ipsum autem sapientem doctorem profiteri et agnoscere semetipsum condescensione usum esse quoad crassitiem verborum *Orientalium* propter eas, quas in praecedentibus diximus, causas, ex iis, quae scripsit, discimus. Etenim apologiam struit tacite etiam hic pro illis qui medicinam spiritualem consecuti erant, his *verbis*: Cyrillus: « Nam si etiam quibusdam videatur structura verborum et prolatio sententiarum a subtili diligentia valde recedere, nihil mirum: talia enim difficillime verbis exprimuntur[4].» Cum autem Iohannes, episcopus civitatis Antiochenorum, in eadem crassitie verborum persisteret, et scripsisset ad aliquem ex suis familiaribus quaedam verba similia iis, quae in confessione Orientalium habentur, dixissetque: « Docuit nos civitatis Alexandrinorum *episcopus* dividere voces secundum quod conveniunt naturis[5]», apologiam etiam quoad hoc fecit per explicationem, in qua et Orientales excusavit, dicens τὸ separare voces esse distinguere differentiam et agnoscere quidnam congruat divinitati, quidnam autem humanitati, * non autem dividere illas unicuique ex naturis, ita ut has quidem natura divina vel forma, illas vero *natura* humana dicat et loquatur, secundum rationem modo a nobis perspectam, sed unus, qui ex duobus, Christus Iesus. Dum autem explicationem tradit, manifeste negat illa verba esse sua, sed illa *dicit* esse eorum, qui medicinam et institutionem consecuti sunt.

* p. 49.

Et iterum illum audiamus in ipsa epistula ad Acacium haec dicentem: Cyrillus: « Audivi autem scripsisse quibusdam ex suis familiaribus castum et piissimum episcopum Iohannem,

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 196. — [2] *Ibid.*, 197. — [3] *Ibid.*, 197. — [4] *Ibid.*, 197. — [5] *Ibid.*, 200.

me diserte claraque voce docuisse me profiteri differentiam naturarum et separare voces secundum quod convenit naturis: et ob eam causam nonnulli scandalizantur. Est itaque necessarium ut de hac quoque re dicamus. Integritatem tuam non fugit illos, maculam sententiae Apollinarii in meas epistulas diffundentes, opinatos esse me inanimatum etiam dicere sanctum corpus Christi, et mixtionem vel confusionem vel contemperationem et mutationem factam esse Dei Verbi in carnem, aut carnem mutatam esse in naturam divinitatis, ita ut nihil iam remanserit pure sitque idipsum quod est. Opinati sunt insuper et blasphemiis Arii me assentiri, propterea quod nolim agnoscere differentiam vocum et alias dicere Deo congruentes, alias humanas magisque convenientes oeconomiae cum carne. Me autem a talibus *erroribus* immunem esse, testari potest apud alios Integritas tua. Verumtamen opus erat ut iis, qui scandalizati sunt, rationem redderem. Quapropter ad illius Pietatem scripsi me nunquam * sive Arii sive Apollinarii sententiam tenuisse, neque rursus Deum Verbum in carnem dicere mutatum, neque in naturam divinitatis mutatam carnem, quia immutabile et inconvertibile est Verbum Dei. Impossibile est et alterum *crimen*: neque enim sustuli unquam differentiam vocum, sed scio Dominum eo, qui Deum simul et hominem decet, modo locutum, propterea quod est simul Deus et homo. Hoc itaque volens significare, scripsit se docuisse confiteri differentiam naturarum et separare voces secundum quod convenit naturis: sermones autem huiusmodi mei quidem non sunt, sed ab ipso prolati[1].»

* p. 50.

Haec etiam sole lucidiora sunt; manifesto ostendunt quomodo explicaverit id, quod dictum est a Iohanne, episcopo Antiochenorum, rursusque ab omnibus Orientalibus, τὸ separare voces ad differentiam tantum intelligendum esse, non ad divisionem. Dixit enim: Cyrillus: « Sed scio Dominum eo, qui Deum simul et hominem decet, modo locutum, propterea quod est simul Deus et homo[2].» *Ostendunt etiam* quam manifesto respuerit has voces et negaverit esse suas, dicens: Cyrillus: « Sermones huiusmodi mei quidem non sunt, sed ab ipso prolati[3].»

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 197. — [2] *Ibid.*, 200. — [3] *Ibid.*, 200.

At Grammaticus, adversarius, veritatis et correptione scrip-
turarum non erubescens, dum is, qui morbum aegrotantium
sanavit, clamat: « Mea non sunt verba, sed ab ipso prolata »,
* p. 51. maxima cum audacia clamat contra ipsum et dicit * Doctori:
« Tua sunt verba », scribendo: « Sic vir magnus et deifer gavi- 5
sus est scriptis, eaque ut sua agnovit », postquam scripsit ea
tantum quae condescensioni institutionis consentiunt et talem
explicationem, quae ad sensum rectum illa eveheret, accepe-
runt, quam in medium protuli. Si vero, asserentibus Orienta-
libus: « Voces autem evangelii circa Christum scimus viros 10
theologos alias quidem communes facere, tanquam ad unam
personam *pertinentes*, alias autem separare tanquam de duabus
naturis *dictas* [1]», iuxta verba impudentia stultitiae tuae, o in-
docte, « ut sua *verba Cyrillus* agnovit, ita ut mirabundus
laudaret », cur, cum *illis* consocia scriberet Iohannes atque 15
assereret ipsum docere nos separare voces secundum quod
naturis convenit, exsilivit, negavit et diserte dixit: « Sermones
autem huiusmodi mei quidem non sunt, sed ab ipso prolati [2]»?
Et merito quidem: neque enim praeceptor loquelam suam
vocat haesitantiam linguae puerorum, — balbutiebat enim cum 20
illis, non quod hac infirmitate ipse laboraret, sed quia imper-
fectionem eorum ad planam vocem evehebat, — sicut nec
medico quis tribuit morbum aegrotantis sed eius sanationem.
Cur ergo, o patrator omnis iniquitatis, impugnator naturae,
ordinis rerum et eorum, quae scripta sunt, et per omnia Deo 25
* p. 52. infense, verba aegrotantium * medico adscribis et dicta eorum,
qui imperfecte locuti sunt, ipsius Doctoris propria facis, dum
retices *verba* sanationis et furtim abscondis ea, *quae tradunt*
institutionem perfectam?

CAPUT QUINTUM 30

Quod, imitatus Theodoretum blasphematorem, verba Orientalium,
spoliata remedio, sancti Cyrilli confinxit *esse Grammaticus,* ut dis-
tinctio vocum divisio fieret, dum unaquaeque ex naturis *suas voces*
loquatur, eique propriae ipsius adscribantur: quod alienum est ab

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 172. — [2] *Ibid.*, 200.

unione hypostatica, proprium autem *unionis* habitudinis, secundum
quam homo a Verbo assumptus esset, quasi radio solis fulgens et
impulsus, dissimulata blasphemia christorum et filiorum divisim
loquentium in duabus naturis et formis.

5 Nec mirandum: nam et in hoc te imitatum esse patres tuos
apparuit, et *placita* Theodoreti acerbe profers. Etenim, ille
etiam hanc condescensionem et haesitantiam linguae doctoris
balbutientis cum illis, infirmitatem ipsius dicit, dum ipse in
illo morbo permanet et sanationem non recipit, sed putat ipsum
10 medicum aegrotare secum, quia ad aegritudinem aegrotantium
accessit et adhibuit remedia efficientia sanitatis. Scripsit enim
ille nequam ad Iohannem, episcopum Antiochiae, de iis, quae
scripta fuerant ad Orientales a sancto Cyrillo, haec: THEODO-
RETUS: « Deus, qui omnia sapienter gubernat, et prospicit con-
15 cordiae nostrae et curam gerit de salute populorum, ut simul
conveniremus disposuit * et consonantes inter se ostendit mentes * p. 53.
omnium nostrum. Cum enim communiter legissemus scripta
aegyptiaca, et scrutati essemus diligenter sensum eorum, repe-
rimus consona nostris *esse* ea, quae illinc missa fuerant, et
20 aperte contraria duodecim capitulis, contra quae, utpote aliena
a pietate, hactenus pugnamus. Illa siquidem habebant carnaliter
factum esse carnem Verbum, quod ex Deo *est*, et unionem
hypostaticam, et conventum secundum unionem naturalem,
et Deum Verbum factum esse primogenitum ex mortuis;
25 reiciebant vero separationem vocum de Domino *dictarum*, alia-
que insuper continebant a seminibus quidem apostolicis aliena,
germina vero zizaniorum haereticorum. Quae autem nunc
scripta sunt, omni evangelica generositate decorantur. Deus
enim perfectus et homo perfectus nominatur in illis Dominus
30 noster Iesus Christus, et duae naturae *agnoscuntur*, et diffe-
rentia earum, et unio inconfusa, non secundum mixtionem vel
temperationem, sed ineffabili quodam et Deum decente modo
facta, atque proprietates naturarum impermixte conservans;
et impassibilis quidem et immutabilis Deus Verbum, passibile
35 vero templum et morti ad breve tempus traditum rursusque
virtute Dei ipsi uniti suscitatum; et Spiritus sanctus non a
Filio neque per Filium existentiam habens, sed a Patre proce-
dens, Filii autem proprius qua consubstantialis vocatus. Hanc

rectitudinem in scriptis intuiti, eaque opposita quasi ex diametro antea scriptis invenientes, laudavimus eum, qui linguas balbutientes sanat et verbum deforme in vocem suavem mutat[1].»

* p. 54. * Ex illo fonte impudenti et impiissimo, insensate Grammatice, nuda illa verba Orientalium affers, spoliando illa emendatione salutari et erudiente, dicisque sanctum Cyrillum ea ut sua agnovisse, et imperfectionem balbutientium, ad quos condescendit, ei, qui condescendit, tanquam propriam adscribis. Quod et Theodoretus clamare non erubescit, dicens: THEODORETUS: « Laudavimus eum, qui linguas balbutientes sanat et verbum deforme in vocem suavem mutat[2].» Et tacuit de remedio salutari quod illis secreto apposuit doctor, scribendo: « Unus enim *est* Dominus noster Iesus Christus, quamvis agnoscatur differentia naturarum, ex quibus dicimus factam esse unionem ineffabilem[3].» Etenim, ex utroque vel ex duabus naturis proclamare Emmanuelem, unionis hypostaticae et coniunctionis secundum unionem naturalem est demonstrativum, ex qua efficitur ut una revera sit persona Christi, et una hypostasis atque natura Dei Verbi incarnata, qua etiam divisio vocum evanescit et distinctio in hoc innotescit. Nam non diviso dualitate naturarum post unionem ineffabilem Salvatore nostro Christo, quibusnam dividentur voces? Siquidem prorsus necessario eas indivise loquitur eique *omnes* adscribuntur, quia unus Christus Iesus Dominus, qui ex duobus, *scilicet* ex divinitate et humanitate perfectis secundum suam rationem, *constituitur*, divinitus et humanitus voces diversas, tam divinas quam humanas, loquitur. Quapropter et ad Acacium scribens, merito et * p. 55. consequenter, * utpote sciens quanam sententia adduceret ad convenientem *formam* crassitiem sermonis Orientalium, scripsit: CYRILLUS: « Differentiam autem vocum nullo modo sustulimus, quamvis abhorrescamus ab illis dividendis tanquam Filio seorsum, Verbo quod ex Deo Patre est, rursusque tanquam homini qui ex muliere, seorsum intellecto filio. Una enim certissime est natura Verbi; scimus autem eam incarnatam esse

[1] *P. Gr.*, LXXXIII, 1484. — [2] *Ibid.*, 1484. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 180.

atque inhumanatam, sicut antea diximus[1].» Itaque haud secus evanescit divisio vocum ac subsistente una natura Dei Verbi incarnata; ubi autem *in* duas naturas dissecant Emmanuelem post unionem ineffabilem, prorsus et absolute cum duabus naturis tanquam inter duos filios dissecantur et voces.

Haec sunt verba sanationis, haec sunt *verba* explicationis sapientis, qua eos, qui errabant, expiscatus est. Haec reticuit Grammaticus; haec neglexit similiter Theodoretus, distinctionem vocum *ut* divisionem et sectionem intelligens, utpote qui semel in duas naturas diviserat Christum. Etenim, in oratione quam « De expositione fidei » inscripsit, cuius initium est: « Cum sufficienter confutationem protulerimus adversus Iudaeos et adversus gentiles, consequenter iam exponimus sanam rationem fidei[2]», de Deo Verbo et de sancta Virgine disserens, dixit sic: THEODORETUS: « Eiusque uterum ineffabiliter subiens veluti divinum quoddam semen, format sibi templum, hominem perfectum, cum partem aliquam sumpsisset ex natura eius ad templi formationem. Induens autem * illud et secundum summam unionem Filius Dei processit, ambo quoad naturas existens, — exinde enim Filius est Deus et homo, — sicque oeconomiam circa nos implevit[3].» ET PAULO POST: « Cum igitur audieris de uno Filio diversas voces, convenienter divide naturis ea, quae dicuntur, si quid magnum et divinum, naturae divinae illud attribuens, si quid parvum et humanum, humanae imputans. Sic enim et discrepantiam vocum effugies, unaquaque natura id quod sibi congruit recipiente, ac unum Filium et eum, qui ante saecula, et recentem confiteberis *esse*, sicut scriptum est[4].» In eadem oratione unionem ad modum illustrationis radii solis ex efficientia divina in hominem, qui ex Maria, seu templum, dicit esse, sicut etiam *in* quemlibet ex sanctis pro puritate ipsi inhaerente, licet hic dicat perfectam atque totam illustrationem esse comprehensam. Sic autem scripsit: THEODORETUS: « Communis sol nobis omnibus quotidie propositus est, neque huic minus, illi autem magis effulget, sed communem suam efficaciam omnibus nobis aeque immittit. At si quis inco-

* p. 56.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 193. — [2] *P. Gr.*, VI, 1208 — [3] *Ibid.*, 1224. — [4] *Ibid.*, 1225.

lumem habeat aciem, plus de illius radio accipit, non quod ipse sol illi magis quam caeteris expandatur, sed propter integram vim visus oculorum; qui autem visu infirmus est, ne ipsi quidem splendori lucis poterit intendere, ob debilitatem oculorum suorum. Sic mihi cogita etiam solem iustitiae omnibus quidem aeque secundum essentiam ut Deum adesse; nos autem omnes, ut oculos infirmos et lippientes sordibus peccatorum, acceptioni lucis impares; proprium vero templum, velut oculum purum et capientem splendorem universae * lucis, quia formatum est ex Spiritu sancto et omnino remotum a peccato. Quemadmodum enim sol omnibus pariter efficaciam suam immittens, pariter ab omnibus non capitur, ita Verbum secundum essentiam omnibus adest, sed non pariter omnibus ac proprio templo adest [1].»

Cum hanc putaret esse unionem, illuminationem *scilicet* Dei Verbi et efficaciam in hominem, et divideret suo arbitratu Emmanuelem in Deum seorsum et hominem singillatim, atque *ut* divisionem intelligeret distinctionem vocum et diversitatem earum causam praetexeret disiunctionis, scribebat adversus sanctum Cyrillum ad Iohannem, episcopum Antiochenorum, ea quae ab Orientalibus dicta fuerant, scribendo ea ad illum spoliata emendatione doctrinali, sicut et ipse Grammaticus, dicebatque: THEODORETUS: «Reperimus consona nostris *esse* ea, quae illinc scripta fuerant, et aperte contraria duodecim capitulis, contra quae hactenus, utpote aliena a pietate, pugnamus. Illa siquidem habebant carnaliter factum esse carnem Verbum, quod ex Deo *est*, et unionem hypostaticam, et conventum secundum unionem naturalem, et Deum Verbum factum esse primogenitum ex mortuis; reiiciebant vero separationem vocum de Domino *dictarum*, aliaque insuper continebant a seminibus quidem apostolicis aliena, germina vero zizaniorum haereticorum. Quae autem nunc missa sunt, evangelica generositate decorantur. Deus enim perfectus et homo perfectus nominatur in illis Dominus noster Iesus Christus, et duae naturae *agnoscuntur*, et differentia earum, et unio inconfusa [2].» Manifeste igitur * apparet ex illis eum, qui verba Orientalium profert spoliata explicatione sapienti sagacissimi Cyrilli, qui dixit:

[1] *P. Gr.*, VI, 1240. — [2] *P. Gr.*, LXXXIII, 1484.

«quamvis differentia naturarum agnoscatur, ex quibus unionem ineffabilem dicimus esse factam [1]», — quod et Nestorius et synodus chalcedonensis reiecerunt atque expulerunt, — pugnare adversus duodecim capitula ut aliena a recta pietate, negare unionem veram et hypostaticam, non confiteri Deum Verbum ex Patre quidem divinitus natum unicum ante saecula, eundem autem, per nativitatem secundum carnem ex Virgine atque resurrectionem Deo congruentem, etiam primogenitum ex mortuis, dividere autem eas voces, quae scriptae sunt de Domino, naturis duabus, id est, homini et Deo.

Haec enim modo audivimus Theodoretum expresse dicentem et dividentem eum, quem confitetur Christum in hominem et Deum, quos duas naturas vocavit sic: THEODORETUS: «Deus enim perfectus et homo perfectus nominatur in illis Dominus noster Iesus Christus, et duae naturae [2]»; neque addidit «idem», quamvis et hoc secundum homonymiam filiationis et aequalitatem honoris saepissime dixerit, sicut Nestorius. Sed solent confidenter aut ex abundantia cordis, sicut Dominus dixit [3], absque pudore ea, quae sentiunt, loqui et oblivisci personam pietatis. Hic est Theodoretus ille, o Grammatice, tuo suffragio coronatus, de quo scribere tibi placuit, cum duas naturas nominaret, siluisse et morem gessisse sapientem Cyrillum, nihilque habuisse quod diceret, * et suspicionem criminis duarum personarum *in eum* movisse. Vidisti ergo etiam hic quam expresse nominaverit duas naturas. Et quomodo effugeret suspicionem duarum personarum is, qui impugnat duodecim capitula et unionem hypostaticam expellit; qui illa *capitula* audet vocare semina zizaniorum haereticorum; qui participationem efficaciae divinae, tanquam lucis solis, in homine *receptam* loco unionis verae eligit, et ideo *ut* hominem theophorum exhibet nobis Christum, non autem Deum naturaliter incarnatum et perfecte inhumanatum citra omnem phantasiam et mutationem?

Quam abominandam sententiam cum aliis reiecit eximius Cyrillus. Etenim in Scholiis, in scholio cui inscribitur Quo-

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 180. — [2] *P. Gr.*, LXXXIII, 1484. — [3] MATTH., XII, 34.

modo oporteat intelligere: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis », et quomodo missum sit Verbum, cum Deus sit, et quomodo proprium ipsius dicatur corpus[1] », sic scripsit: CYRILLUS: « Inhabitavit namque in eo omnis plenitudo divinitatis corporaliter[2], id est, non per participationem et simplicem 5 relationem, ad instar lucis illuminantis aut ignis de calore suo nativo immitentis rebus sibi admotis, sed, ut ita dicamus, ipsius naturae divinae et immortalis, quidquid concipiatur esse, habitaculum fecit per unionem veram, ut dixi, templum ex Virgine *formatum*: ita enim unus et intelligitur et est 10 Christus Iesus[3].» His igitur explodit sententiam malam Theodoreti eorumque qui sicut ille sentiunt: qui per participationem * p. 60. et efficaciam divinae lucis * divinaeque gratiae unionem veram ad alium sensum detorquent. His rursus, paulo supra in eodem scholio docet, iuxta traditionem Scripturae inspiratae, quidnam 15 sit opus unionis verae, assumendo in exemplum argumenti imaginem constitutionis hominis nostri similis et sequendo Paulum qui dixit: « Quia ergo filii communicaverunt sanguini et carni, et ipse similiter communicavit eisdem[4] »: CYRILLUS: « Sed si oportet aliquid, tanquam in speculum intuentes, dicere, 20 opinatur intellectus humanus unitum esse Verbum corpori habenti animam rationalem sicut et anima hominis *unita est* corpori suo; ipsa quidem alia est secundum naturam, sed sortita est communionem et unionem ad illud ita ut iam alia non censeatur esse relate ad ipsum, eo quod per compositionem ex 25 utroque unum animal absolvatur, manente tamen ipsa, ut dixi, in sua natura. Ergo non per mutationem aut conversionem hominem factum esse dicimus Verbum Dei, neque rursus quasi desiisset deinceps esse Deus, sed quia, cum carnem ex muliere assumpsisset eique unitum esset ex utero exivit homo, estque 30 idem Deus[5].»

His similia et in quarto tomo eorum, quae scripsit de epistula ad Hebraeos, dixit: CYRILLUS: « Itaque, unus profecto est Filius et Dominus, cum per unionem hypostaticam coniunctum sit Verbum cum humanitate, et communicaverit carni et san- 35

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1396. — [2] *Coloss.*, II, 9. — [3] *P. Gr.*, LXXV, 1398. — [4] *Hebr.*, II, 14. — [5] *P. Gr.*, LXXV, 1397.

guini, ideoque assimilatum sit per omnia fratribus suis[1].» Ecce, hoc est vestigia sequi traditionis apostolicae, * *scilicet* * p. 61. quoad unionem divinam inhumanationis adhibere exemplum constitutionis et subsistentiae nostri, instar quorum communi- 5 cavit Verbum Dei sanguini atque carni animam rationalem habenti. Hoc enim etiam in iis, quae contra Theodorum mopsuestenum, in oratione prima, sanctus Cyrillus scripsit: CYRILLUS: « Utimur autem commoditate exempli, servantes ubique absque sectione unionem, et divisionem tuam reicientes. Exem- 10 plum autem solis nemo inter eos, qui recta sentiunt, profert ad confirmationem unionis, sciens se adhaerere Scripturis divinis quae volunt Verbum Dei, ut diximus, instar nostri communicare sanguini et carni animata anima rationali, non autem contrarium, *id est*, hominem per participationem et simplicem rela- 15 tionem efficientia divina veluti radio solis esse illuminatum[2].»

Ad aliam igitur imaginem exemplo solis invenimus eximium Cyrillum usum esse, adversus obiectionem impii Iuliani, qui prae omnibus unquam regibus cultui daemoniorum addictus fuit: qui putabat Verbum Dei per incarnationem circum- 20 scriptum fuisse et exinde sordes aut maculam illi adhaesisse. Praemittit enim *Cyrillus* obiectionem, in oratione octava libri secundi, in iis, quae contra ipsum *Iulianum* scripsit: CYRILLUS, TANQUAM EX PERSONA IMPERATORIS IULIANI: « Sed enim angustum est, inquit, corpus humanum et sordibus plenum.» IPSIUS 25 CYRILLI CONTRA IULIANUM: « Verum istud, neque negabo. Verumtamen illud considera. Factus est enim, * ut dixi, in * p. 62. similitudine hominum, sicut scriptum est[3], et revera in specie nostra. Non tamen dicimus contractum fuisse illum, qui capi nequit, neque mensura corporis comprehensum. Valde enim 30 stultum et absurdum prorsus est tale quid dicere de naturali ac vero Deo. Nam cum sit unus ac solus Filius et omnino supra omnem imaginationem corpoream, totus est per communicationem in omnibus et ubique et in singulis per habitudinem, non divisus, non in partes sectus, sed extra omnia est per 35 naturam et in omnibus ut Deus. In illo autem corpore puris-

[1] PUSEY, t. III, p. 395. — [2] PUSEY, t. III, p. 513. — [3] *Philipp.*, II, 7.

simo et sancto inhabitavit quidem plenitudo divinitatis corporaliter, sicut scriptum est[1], et erat tanquam in propria carne, sed et sic implebat omnia. Sicut autem solis radius, si in coenum inciderit aut in alias sordes, nullum tamen detrimentum patietur, sic etiam natura incontaminata et immortalis, licet forte cum terrenis corporibus versetur, iuvat illa potius, et eorum, quae nata sunt detrimentum afferre, nihil prorsus ei inhaeret. Et hoc censeo addendum atque dicendum: corpora nostra et passionibus vincuntur et facile cadunt in studium voluptatum, et lege peccati in se laborant. Sed in corpore divino et sancto Christi nihil huiusmodi moveri dicimus, sed evanuerant omnes inhonestae passiones atque, utpote factum proprium Verbi in ipso inhabitantis ipsique uniti, *corpus illud* locupletatum est sanctitate; templum enim sanctum erat eius, qui omnem aliam quoque creaturam sanctificat[2].»

* p. 63. * Vide quomodo unice ad ostendendum quod non communicaverit sordibus aut maculae Verbum Dei ob sanctam inhumanationem, exemplo radii solis usus sit, non autem ad demonstrationem unionis hypostaticae ac coniunctionis secundum unionem naturalem Dei Verbi ad humanitatem. Hoc enim iam antea illustraverat et discreverat divinam incarnationem a coaequatione cum aliis, in quibus per communicationem adest Verbum Dei, dicendo: Cyrillus: « Totus est per communicationem in omnibus et ubique et in singulis per habitudinem, non divisus, non in partes sectus, sed extra omnia est per naturam et in omnibus ut Deus. In illo autem corpore purissimo et sancto inhabitavit quidem omnis plenitudo divinitatis corporaliter, sicut scriptum est, et erat tanquam in propria carne[3].»

Quid autem sit illud « inhabitavit corporaliter », rursus sapiens doctor nos docet in oratione ad religiosissimas reginas, cuius initium est: « Eis, qui praedicationem divinam et caelestem administrant[4]», scribendo sic: Cyrillus: « Credentes autem carnem factum esse Verbum, non conversione aut mutatione, sed potius quia habitavit in nobis et templum proprium effecit corpus, quod vere unitum est ipsi, habens animam rationalem,

[1] *Colossa.*, II, 9. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 940. — [3] *Ibid.*, 940. — [4] *Ibid.*, 1336.

recte dicimus, quia dum inhabitationem Verbi in carne sancta, id est, unionem veram insinuat divus Paulus, dicit in eo inhabitasse omnem plenitudinem divinitatis, non potius per participationem aut per habitudinem aut tanquam per donum gratiae, sed corporaliter, id est, substantialiter, * quemadmodum et in homine habitare dicitur spiritus eius, cum alius ab eo non sit[1].» * p. 64.

Sic quodlibet exemplum munere suo fungitur, et dum pro ratione argumenti tantum assumitur, quoad dissimilitudines reicitur. Non enim in omnibus similitudo servatur; hoc enim esset ipsam rem potius quam *eius* exemplum esse. Et promptum est videre sanctum Iohannem, episcopum constantinopolitanum, *hoc* docentem in explicatione epistulae ad Romanos sic: Iohannes: « Et hoc ubique observandum, exempla non omnia in universum assumenda esse, sed electo ex illis eo, quod usu venit ad quam rem assumpta sunt, cetera omnia esse negligenda. Ut ergo cum dicit: « Recumbens dormivit ut leo[2]», quod inexpugnabile et terribile est assumimus, non quod ferinum, neque aliud quidpiam quod leoni competat; ac rursus cum dicit: « Occuram illis tanquam ursa perspiciens[3]», quod ad castigationem pertinet intelligimus, et cum dicit: « Nam Deus noster ignis consumens est[4]», consumptionem a supplicio dicit: sic et hoc loco lutum, figulus ac vasa accipienda sunt[5].» Similiter et Gregorius Theologus, de exemplis quae alias aliter assumuntur, ad demonstrationem alicuius capitis contemplationum circa sanctam Trinitatem, in oratione de Spiritu sancto haec scripsit: Gregorius: « In summa, nihil est quod sententiam mihi firmet cum exempla considero huius, quod mens imaginatur, nisi forte quis unum quid * ex imagine assumens, prudenter reliqua proiciat[6].» * p. 65.

Sic ergo et quoad praesens argumentum: *ut* exemplum unionis hypostaticae assumatur constitutio hominis nostri similis, quia eodem modo ac nos communicavit Verbum sanguini et carni animatae anima rationali; at vero, quoad illud quod non communicaverit quibuslibet sordibus is, qui ad tantam exina-

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 1364. — [2] *Num.*, XXIV, 9. — [3] Hos., XIII, 8. — [4] *Deuter.*, IV, 24 — [5] *P. Gr.*, LX, 559. — [6] *P. Gr.*, XXXVI, 172.

nitionem volens descendit, imo sanctificaverit assumptum, et quidem immutabiliter manendo id, quod erat, *ut* imago assumatur exemplum radii solis, non ad ostendendum Christum hominem *esse* sicut unum ex nobis, in quem per participationem, quasi ex illuminatione lucis, facta est efficacia divina, quemadmodum dicere voluit impius Theodoretus, dividens unum illum indivisibilem dualitate naturarum post unionem inexplicabilem et dividens illis voces et actiones. Quod et in alio eius libro, De theologia sanctae Trinitatis et de oeconomia, ut ait, scriptum est. Ante hunc *librum* quidem prooemium texens, sic incepit: THEODORETUS: « Omnis scriptio otium requirit et tranquillitatem, mentemque curis liberatam[1] »; incipiendo autem ait: THEODORETUS: « Oportet sane omnes, qui nomine Salvatoris nostri praefulgent, ovesque esse glorientur pastoris qui animam suam posuit pro nobis, vocem pastoris audire[2]. » Ad eadem dogmata impia et profana devenit in capite vicesimo secundo secundae orationis, quam De oeconomia sive de inhumanatione inscripsit; * in capite vero scripsit sic: THEODORETUS: « Demonstratio ex epistula ad Hebraeos separationis naturarum et unionis personae. Clarius autem videat quilibet in epistula ad Hebraeos naturam divinam et *naturam* humanam operationibus quidem divisas, persona vero coniunctas ac unitas et unum Filium demonstrantes[3]. » ET POST PAUCA: « Qui enim est splendor gloriae et figura substantiae[4] non fit melior angelis, sed est non tantum melior angelis, verum *eorum* auctor et dominus. Iam autem si contrarium est τῷ esse τὸ fieri, per illud quidem sempiternaliter existentem intelligemus, per hoc autem id, quod ex nobis assumptum est et melius angelis effectum est propter unionem ad assumentem[5]. » RURSUSQUE POST PAUCA: « Itaque contrarium est τῷ esse regem τὸ ungi in regem propter dilectionem iustitiae et odium iniquitatis; praemium enim laborum est tale regnum. Rursus itaque hunc quidem Deum, cuius thronus in saeculum saeculi, sempiternaliter existentem *illum esse* intelligemus; illum autem qui postea unctus fuit propter odium iniquitatis et dilectam ab ipso iustitiam

* p. 66.

[1] Locum non repperi. — [2] *P. Gr.*, LXXV, 1148. — [3] *Ibid.*, 1456. — [4] *Hebr.*, I, 3. — [5] *P. Gr.*, LXXV, 1456.

esse intelligemus id, quod ex nobis assumptum est, quod ex David, quod ex Abraham, quod participes habet quibus unctione praestat, quod in se recepit omnia charismata Spiritus sancti. Sed in utraque natura unum Filium adorabimus[1]. »

Ecce, apparet etiam ex illis quomodo duas naturas revera separatas, unitas confiteantur per artificium unionis unius personae, et quomodo id, quod ex David assumptum est, *tanquam* praemium laborum dicant obtinuisse ut * regnaret cum Filio, qui *est* ante saecula, et propter hanc aequalitatem honoris et hoc unicum regnum, etiam unum Filium, ut opinantur, in duabus naturis doceant; quod a Chalcedonensibus definitum est. Qui enim ea, quae modo citata sunt, scripsit et blasphemando introduxit hominem deiferum, qui ex semine David, postquam dixerat illum in se accepisse omnia charismata Spiritus sancti, subiunxit: THEODORETUS: « Sed in utraque natura unum Filium adorabimus[2] »; hisque rursus addidit et subnexuit miser: « Iterum autem beatus Paulus, Davidem vocans ad testimonium qui ait: « Domine, quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis; gloria et honore coronasti eum[3] », addidit: « Eum autem qui paulo minus ab angelis minoratus est, videmus esse Iesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum, ut absque Deo pro nobis omnibus gustaret mortem[4]. » Hoc autem manifestissime ostendit perfectionem hominis assumpti; nam: « Domine, ait, quid est homo, quod memor es eius? » Non dixit « quid est caro, quod memor es eius », aut « quid corpus, quod memor es eius », sed « quid est homo », universam simul naturam complectens, et Dominum vocans Deum Verbum inhabitantem, qui propriae imaginis memor fuit, qui misericordia ineffabili usus est, hominem vero *vocans* templum ex nobis assumptum, quod adventu suo visitavit et sibi copulavit, et unione salutem operatus est[5]. »

Itaque, non ipse Dominus factus est homo, sed is, qui visitavit, erat Dominus, qui autem visitatus est, * homo *erat* et non Dominus. Quomodo ergo non manifesto duo sunt? Addit autem

* p. 67.
* p. 68.

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1456. — [2] *Ibid.*, 1456. — [3] *Psalm.* VIII, 5-7. — [4] *Hebr.*, II, 9. — [5] *P. Gr.*, LXXV, 1456.

post pauca iterum, — quae totidem, ut ita dicam, verbis repe- riuntur etiam in reprehensione undecimi ex capitulis sancti Cyrilli[1]: THEODORETUS: « Quis ergo *est* qui orabat et preces supplicationesque cum clamore valido et lacrymis offerebat? Quis, qui cum reverentia vixit et eum, quem rogabat, persuasit? Quis, qui ex iis, quae passus est, didicit obedientiam et tentationem magistri loco accepit, eius rei ignarus ante tentationem? Quis, qui pedetentim perfectionem adeptus est? Non Deus Verbum, perfectum illud, omnia cognoscens antequam fiant, minime vero per tentationem discens, omnes habens sui cultores ipsumque neminem colens, auferens lacrymam ab omni facie ipsumque minime plorans dolore compulsum, impassibile, immortale, non timens mortem neque cum clamore supplicans ut liberetur a morte. Haec igitur propria *sunt* humanitatis assumptae, quae mortem metuebat et preces offerebat, divinitate, quae inhabitabat, permittente timorem, ut per passiones ostenderetur natura assumpti[2].» Et iterum, in capite vicesimo primo: « Ita etiam beatus Paulus per totam epistulam tum proprietates naturarum, tum unionem personae praedicat[3].» Rursusque in capite tricesimo quarto: « Sed et naturam Dei Verbi scimus, et substantiam formae servi cognoscimus, utramque vero naturam tanquam unum Filium adoramus; altero namque alteri coniuncto, Christus nominatur; neque forma Dei sola, neque forma servi nuda et spoliata * divinitate ita unquam vocata est a magistris pietatis[4].» ET PAULO POST: « Mixtionem mittentes, nomine unionis et adhaesionis et communionis utamur, naturarum quidem separationem, personae vero unionem docentes. Sic Apollinarii et Eunomii blasphemiam refutabimus, humiliter dicta a Salvatore nostro Christo applicantes formae servi, sublimia autem et Deo digna ac magna divinitati sublimi et magnae et omnem sensum excedenti attribuentes[5].»

His ergo clare ostenditur quomodo cum separatione formarum et naturarum, voces quoque separentur atque dividantur, cum unicuique ex naturis tribuatur etiam ut in propria persona ea, quae ipsius sunt, loquatur. Etenim audimus quomodo dixerit: THEODORETUS: « Haec igitur propria sunt humanitatis

[1] Cfr *P. Gr.*, LXXVI, 436. — [2] *P. Gr.*, LXXV, 1457. — [3] *Ibid.*, 1460. — [4] *Ibid.*, 1472. — [5] *Ibid.*, 1473.

assumptae, quae mortem metuebat et preces offerebat[1]». Proinde, homo erat ille qui orabat, supplicationes offerebat et seorsum loquebatur; nam antea dixit interrogative docens: THEODORETUS: « Quis ergo *est* qui orabat, et preces supplicationesque cum clamore valido et lacrymis offerebat[2]?» Et respondebat decernebatque, dicens: THEODORETUS: « Non Deus Verbum, impassibile et immortale, sed qui mortem metuebat et cum clamore supplicabat ut servaretur a morte[3].» Sic iuxta ipsos nulla habetur differentia, sive humanitatem dicant orantem aut loquentem, sive hominem. Ideo igitur iniquum Nestorium ostendit sapiens * Cyrillus, in tomo tertio eorum, quae scripsit adversus blasphemias eius, sic dicentem: NESTORIUS: « Semen Abrahae is est, qui « heri et hodie », iuxta dictum Pauli[4], non qui dicebat: « Priusquam Abraham fieret, ego sum[5]»; « similis factus est fratribus suis per omnia[6]», qui fraternitatem animae humanae et carnis suscepit, non qui dixit: « Qui vidit me, vidit Patrem[7]»; apostolus, qui nobis consubstantialis et unctus et annuntians remissionem captivis et visum caecis. Nam « Spiritus Domini super me », inquit, « propter quod unxit me[8]»; porro ungitur humanitas, non divinitas, haeretice[9]!» Et qui dixit sursum deorsum: « qui dicit » et « qui dicit » et « qui annuntiat », et divisit in alterum et alterum unum Christum, in Deum *nempe* et in hominem seorsum, constitit in humanitate et scripsit: NESTORIUS: « Porro ungitur humanitas, non divinitas, haeretice[10].» Et in alio loco rursus dixit, ut supra posui: « Qui dixit « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me[11] », natura humana erat, o sapiens[12].»

His adhaerens, Leo quoque unamquamque ex naturis introducit loquentem divisim vocem sibi congruentem, et scribit: LEO: « Non eiusdem naturae est dicere « Ego et Pater meus unum sumus[13]», et dicere « Pater meus maior me est[14]». Cum enim duplicitate naturarum dividitur unus Christus, omnino

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1457. — [2] *Ibid.*, 1457. — [3] Cfr *ibid.* — [4] *Hebr.*, XIII, 8. — [5] IOH., VIII, 58. — [6] *Hebr.*, II, 17. — [7] IOH., XIV 9. — [8] ISAI., LXI, 1 et LUC., IV, 18. — [9] LOOFS, p. 234-235; cfr *P.Gr.*, LXXVI, 133. — [10] *Ibid.* — [11] MATTH., XXVII, 46. — [12] LOOFS, p. 360. — [13] IOH., X, 30. — [14] *Ibid.*, XIV, 28; *P. Lat.*, LIV, 679.

necesse est, ut antea diximus, cum naturis voces dividantur: quod et impius Nestorius, in iis quae acta sunt Ephesi[1], fertur garrivisse in aliqua ex suis homiliis, in ecclesia ex consuetudine *habita*, sic: « iis, quae dicuntur, in duplicitatem naturarum irreprehensibiliter divisis[2]».

* p. 71.

CAPUT SEXTUM

Institutio ampla sanctorum Patrum, quae ostendit veritatem adversus blasphemias supra relatas Theodoreti et Leonis, et quae ostendit dualitati naturarum post unionem adhaerere etiam divisionem vocum, uni vero naturae Verbi incarnatae τὸ differentiam quidem agnoscere actionum et vocum divinarum et humanarum, sed τὸ indivisas illas servare, cum unus sit, qui agit et loquitur, Deus incarnatus, cuius humiliatio, cum criminationes multas sustinuerit, omnes sane propter redemptionem nostram, exaltata est super caelum et ad silentium coegit illos *detrectatores*.

Cum ergo una persona et una hypostasis ac natura subsistat Verbi incarnata, differentia profecto vocum subit, non divisio; et agnoscimus tantum quaenam voces a carne voluntariaque exinanitione originem ducant, quaenam autem a celsitudine divina; nullo tamen modo dicuntur divisim ab hac vel illa natura, sed a toto, id est, a Deo immutabiliter incarnato et inhumanato. Et videas, quaeso, divum Iulium, qui fuit olim episcopus ecclesiae Romanorum, in oratione cui titulus « De unione in Christo corporis ad divinitatem Verbi[3]», hoc dicentem atque docentem: Iulius: « Et quando dicit « Clarifica me », a corpore est vox et circa corpus clarificatio, et de toto dicitur, quia totum est unum. Rursusque addens « claritate quam habui apud te priusquam mundus esset[4]», divinitatem semper claram indicat; etsi proprie divinitati hoc convenit, communiter tamen * de toto dictum est. Sic et Deo consubstantialis *est* secundum spiritum invisibilem, simul comprehensa hoc nomine etiam carne, quia ad eum, qui Deo consubstantialis est, unitur; rursusque hominibus consubstantialis *est*, simul comprehensa divinitate cum corpore, quia ei, quod consubstantiale est nobis, unita est, non mutata natura corporis in unione

* p. 72.

[1] Mansi, t. IV, col. 1201. — [2] Loofs, p. 254; cfr *P. Gr.*, LXXVI, 328. — [3] H. Lietzmann, *Apollinaris von Laodicea*, t. I, p. 185. — [4] Ioh., XVII, 5.

ad Deo consubstantialem et in communione nominis consubstantialis, quemadmodum neque natura divinitatis mutata est in communione corporis humani et in appellatione carnis consubstantialis nobis[1].»

En, hoc est vocum differentiam agnoscere, non confundere ea, ex quibus est Emmanuel, neque dividere, sed scire totum esse unum compositum, *qui* ea, ex quibus componitur, non transformavit, non mutavit, non convertit, quique eas, quae congruunt humanitati aut divinitati, voces et appellationes coniunctim et perfecte in se suscipit et loquitur, qui non dividitur cum differentia vocum, ita ut has quidem natura divina dicatur loqui, illas autem humana. Causa autem ex qua voces indivisibiliter serventur, cum sint inter se diversae, scilicet divinae et humanae, est quod unus Christus ex duobus proclamatur, unaque natura Verbi incarnata. Antea enim docuit Iulius theologus, et in eadem oratione hanc anchoram iecit, et scripsit sic: « Proclamatur autem in eo hoc quidem esse creatum in unione increati, illud autem increatum * in coniunctione creati, una natura ex utraque parte subsistente[2]».

* p. 73.

His consonantia sanctus Cyrillus, in libro quinto enarrationis explanatoriae evangelii Matthaei, scripsit sic: Cyrillus: « Civitatem autem suam fatetur esse Nazareth, utpote nactus quantitatem propter corpus, et propter solam carnem mensuratus, quamvis secundum naturam immensus sit ut Deus. Nam quia simul est Deus et homo, modo quidem, quatenus Verbum est ex Patre effulgens, totus ut talis existens cum carne concipitur, vicissimque modo, quatenus caro factus, etsi secundum naturam Verbum est et in identitate suae naturae firmiter stat, rursus concipitur ut qui totus est homo, ita ut et rationes divinitatis ei naturaliter applicentur, tanquam carnis experti cum carne, et humanitatis *rationes*, tanquam non habenti proprietates divinitatis secundum naturam, etsi Deus secundum naturam est. Igitur, quatenus quidem intelligitur Deus, nullum locum habet requietionis, nam excelsior est loco et circumscriptione et mensura et forma; quatenus vero intelligitur homo nostri similis, id est, cum carne, et in locis est et habuisse civitatem propriam dicitur[3].»

[1] H. Lietzmann, p. 188. — [2] *Ibid.*, p. 187. — [3] *P. Gr.*, LXXII, 416.

Itaque apparet, etsi ut homo loquitur humana, etsi ut Deus *loquitur* divina, etsi libri sacrorum evangeliorum et scripta apostolica de illo aliquid dicunt, nunc quidem tanquam de puro homine, modo autem tanquam de Deo * simplici [1] et carni non implicato, idque etiam cum incarnatum est, haec omnia ab ipso Verbo Dei inhumanato indivise dici et ad illud referri. Non separamus illa, scilicet non dividimus duas naturas vel hypostases, sed distinguimus voces et agnoscimus quaenam quidem ex humanitate causam habeant et quasi ab ipsa procedant, quaenam vero a celsitudine, quae Deum decet, procedant, cum unus omnes *voces* loquatur Deus incarnatus. Quod et apud nosmetipsos videre est. Etenim loquitur intellectus noster omnia per linguam velut ex una persona et indivise, omnia quae ad dispositionem rationalem animae respiciunt, et omnia quae ad carnem vergunt; et ubi quidem dicit « tale quid cogitavi », vel « rationalis sum, et ad imaginem Dei factus », agnoscimus vocem tanquam ex anima rationali causam habentem, et ad *animam* referimus eam, reputantes ipsi convenire id, quod dictum est; ubi vero dicit « plasmatio sum, et pulvis et lutum », vel « esurivi », vel « vulneratus sum », discernimus velut ex carne causam esse voci, et ad *carnem* referimus eam; attamen omnes *voces* hominem, qui ex anima et corpore *constituitur*, putamus locutum, cum principatu intellectus dirigatur, quin differentiam vocum ad divisionem deducamus, stulteque aestimemus has quidem ab anima, illas vero a corpore proferri. Sic ergo etiam quoad Emmanuelem; quamvis *cum* id, quod congruit unicuique ex vocibus, consideramus, differentiam agnoscamus, discernendo undenam causam habeat, utrum *scilicet* ex celsitudine divinitatis an ex humilitate ac demissione humanitatis, ut illuc referamus causam huiusmodi vocis, attamen minime * propter differentiam etiam divisionem immittimus in voces, ita ut dicamus has quidem singillatim proferri a divinitate, illas autem seorsum ab humanitate; nam unus, qui ex duobus, scilicet Deus inhumanatus, has et illas loquitur.

(* p. 74. — * p. 75.)

Iterum hanc theoriam sanctus Cyrillus, doctoris more, in

[1] μονότροπος.

libro secundo Thesauri enuntiat sic: CYRILLUS: « Dicit alicubi Paulus de Filio Dei: « Qui in forma Dei existens, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit et formam servi accepit et habitu inventus est ut homo [1]». Factum est igitur homo Verbum Dei, non in hominem veniens sicut erat in prophetis, sed vere hoc factum est quod et nos *sumus*, absque solo peccato. Est ergo Deus quidem quatenus est Verbum Patris et ex eius substantia, homo vero quatenus factum est caro, ut scriptum est, carnemque nostram induit. Hanc definitionem cum habeat fides de Salvatore nostro Christo, distinguantur voces de ipso *prolatae* secundum congruam rationem. Si audias « Ego et Pater meus unum sumus [2]», unam divinitatem vide Filii et Patris, et Deum intellige Filium, qui est ex substantia Patris; si vero rursus audias illum flevisse et doluisse et timuisse et incepisse maestum esse, intellige rursus eum hominem esse, praeter id quod est Deus, et tribue humanitati quae illi debentur. Nam quia corpus mortale et corruptibile assumpsit, et huiusmodi passionibus subiectum, necessario una cum carne etiam passiones carnis proprias sibi facit; et carne illas sufferente, Verbum illas sufferre dicitur. * Sic namque dicimus illud crucifixum et mortuum, carne haec sufferente, non autem ipso seorsum et per se Verbo: impassibile enim est et immortale. Proinde orthodoxe accipiemus dicta, et divinitati dabimus Deo digna, referemus autem ad carnem ea, quae de ipsa et velut ex ipsa dicta sunt per insitos nobis naturales motus, quorum perceptionem ubi mens adepta est, per linguam scaturire facit ea, quae in profundo occulte et tacite susurrantur [3].» Animadvertamus quomodo, per totam theoriam, unum eundemque noverit eum, qui Deo digna et humana loquitur, Deum inhumanatum, cum ipsum qui dixit « Ego et Pater meus unum sumus [4]»; cum qui contristatus dicebat « Tristis est anima mea usque ad mortem [5]»; neque dixit hoc quidem naturam divinam dixisse, illud autem humanam locutam esse, aut hoc quidem dicere huius fuisse naturae, illud vero alterius naturae. Quapropter non dixit dividendas sed distinguendas esse voces, ad cognoscendum quaenam ad

(* p. 76.)

[1] *Philipp.*, II, 6-7. — [2] IOH., X, 30. — [3] *P. Gr.*, LXXV, 396. — [4] IOH., X, 30. — [5] MATTH., XXVI, 38.

divinitatem et quaenam ad humanitatem sublimitatem habeant. Etenim humano modo nonnulla locutus est, quia factus est homo, et voces Deo dignas dabat, quia erat simul et secundum naturam Deus. Quod etiam exemplo magister confirmat ubi per imaginem ostendit accurate individuitatem loquentis. Quid 5 enim dicit? CYRILLUS: « Referemus autem ad carnem ea, quae de ipsa et velut ex ipsa dicta sunt per insitos nobis naturales motus, quorum perceptionem ubi mens adepta est, per linguam *p. 77. scaturire facit ea, quae in profundo *occulte et tacite susurrantur[1].» Quemadmodum ergo in constitutione totius hominis, 10 mens est quae loquitur, etsi velut ex carne profert verba, ita etiam in divina inhumanatione Deus Verbum est qui loquitur cuique passio adscribitur, etsi in carne anima et mente praedita passio apparet et velut ex ipsa et de ipsa verba procedunt. Ideo enim et hoc aliud sapienter doctor dixit: CYRILLUS: « Sic nam- 15 que dicimus illud et crucifixum et mortuum, carne haec patiente, non autem ipso seorsum et per se Verbo[2].» Significavit enim manifesto ad ipsum seorsum per se Verbum passionem referre non licere; ad incarnatum enim sapientissime *illam* referemus, cum in natura eius nihil laedatur quamvis dicatur passum, 20 quia naturaliter unitum est carni passionis capaci. Proinde, quamvis dicat quis, ita intelligendo, carnem passam esse, non hoc dicit separando Verbum hypostatice ipsi *carni* unitum. Nam caro Verbi passa est; convenienter ergo ipsius *Verbi* dicimus passionem, etsi ut Deus remansit impassibile. Sic enim 25 et voces, quae de carne et velut ex carne *dictae sunt,* loquebatur, quamvis non conveniret ipsi ita loqui si seorsum per se et extra carnem conciperetur Deus. Addit autem[3] et aliam causam verborum humilium oeconomicorum, *scilicet* institutionem nostram et educationem totius naturae humanae: ut enim qui 30 nos omnes, ait, in seipso portat tanquam in primitiis docebat in genere totam humanitatem, divina inhumanatione robora- *p. 78. tam, ea quae supra timorem sunt *sapere et pro iis, quae timorem inferunt, quae Deo placent eligere. Et ideo, ut homo dicebat « Non sicut ego volo, sed sicut tu[4]», typum omnibus 35

[1] *P. Gr.*, LXXV, 396. — [2] *Ibid.* — [3] Cfr *P. Gr.*, LXXV, 397. — [4] MATTH., XXVI, 39.

relinquens, qui replet virtute et fortitudine athletas pietatis ad ita sentiendum et dicendum.

Addit autem theoriae praedictae, admiscens per modum narrationis verbis antea dictis etiam haec: CYRILLUS: « Factum 5 est homo Verbum Dei, non aliam ob causam quam ut, omnia sua nostris infirmitatibus commiscens et, ut ita dicam, contemperans, roboraret naturam hominis et ad suam firmitatem traduceret. Cum igitur apparet timens mortem et dicens « Si possibile est, transeat a me calix iste[1] », cogita rursus quod caro, 10 quae mortem timebat, discebat, quia gestabatur a Deo Verbo, id non amplius sufferre. Dicebat enim ad Patrem « Non sicut ego volo, sed sicut tu[2] ». Non enim timebat ipse, quatenus Verbum est et Deus, mortem, sed properabat ad consummationem perducere dispensationem; haec enim erat voluntas Patris. 15 Habetur autem in illo etiam recusatio mortis, quia caro naturaliter mortem recusat. Itaque, dum docet humanitatem non iam quae ipsi sunt insita cogitare, sed voluntatem Dei quaerere, ut homo ait « Non sicut ego volo, sed sicut tu[3]»; ideo enim videtur adicere « Spiritus promptus, corpus autem infirmum[4]».

20 En quam manifeste rursus docuerit eundem, quatenus quidem Deus est, non timuisse mortem, quatenus autem *homo est idem, *p. 79. suscepisse etiam nolle mori et libenter permisisse ut passionem naturalem sufferret caro ipsius; non quod Emmanuel sibi ipsi adversaretur, — maxima enim stultitia esset hoc, — sed ut per 25 haec typum virtutis seipsum proponeret et adduceret totam humanitatem ad accedendum fortiter ad pugnas pro pietate. Quod autem hoc ita excellenter procederet et provideretur, atque iuxta personam totius humanitatis signaretur, ostendit dicens: CYRILLUS: « Factum est homo Verbum Dei, non aliam 30 ob causam quam ut, omnia sua nostris infirmitatibus commiscens et, ut ita dicam, contemperans, roboraret naturam hominis et ad suam firmitatem traduceret[5].» Quapropter etiam scripsit de Deo Verbo homine facto immutabiliter pro nobis: CYRILLUS: « Cum igitur apparet timens *mortem* et dicens 35 « Si possibile est, transeat a me calix iste ». ET ITERUM: « Dicebat enim ad Patrem: Non sicut ego volo, sed sicut tu.» ET ITE-

[1] MATTH., XXVI, 39. — [2] *Ibid.* — [3] *Ibid.* — [4] *Ibid.; P. Gr.*, LXXV, 396. — [5] *Ibid.*

RUM: « dum docet humanitatem non iam quae ipsi sunt insita cogitare, sed voluntatem Dei quaerere, ut homo ait « Non sicut ego volo, sed sicut tu [1]». Nullibi unquam dixit naturam humanam esse, quae loquebatur, neque ei in singularitate personae verba divisim attribuit sed, — quod multoties diximus, — eundem novit et alte et demisse loquentem atque pro genere nostro et tota eius natura mensuram, quae nobis convenit, suscipientem. Scripsit enim in oratione « Quod unus est Christus » haec: * CYRILLUS: « Non enim fecit peccatum, sed ditata est in ipso immunitate a macula natura hominis perfectaque irreprehensibilitate, ut possit deinceps cum fiducia clamare « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me [2]». Cogita enim hominem factum Unigenitum tanquam unum ex nobis et pro tota natura huiusmodi voces dixisse [3].»

* p. 80.

His autem similia et in libro duodecimo enarrationis explanatoriae evangelii Matthaei scripsit sic: CYRILLUS: « Extensis autem tenebris usque ad horam nonam, vocem humanam emisit Unigenitus. Dixit enim « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ». Nec quisquam putabit, qui sensum habeat, tanquam infirmatum vel egentem auxilio eum talia dixisse, nam Deus est secundum naturam et ipse virtus Patris *esse* concipitur. Haec autem rursus propter nos secundum dispensationem dixit, ut aliquid rursus eorum, quae pro humanitate universaque natura per ipsum recte geruntur, disceremus. Et quid iam est hoc? Ipsa siquidem hominis natura, quia non habebat fiduciam apud Deum omnium, tum propter transgressionem originalem, tum quia « prona est ad malum ab adolescentia sua [4]», ut scriptum est, non clamabat libere ad Deum « Ut quid dereliquisti me ». At quia perfecte irreprehensibilis et libera ab omni peccato apparuit in Christo, — nam « peccatum non fecit [5]», — orat ut respiciat et adiutor iam in suis *necessitatibus* fiat Deus omnium. Iam autem dicere « Deus meus, Deus meus », non modicae fiduciae est, nam dedignatur esse Deus eorum, qui diligunt peccata; propterea enim ad Iudaeos dicebat * « Quia vos non estis populus meus, nec ego sum Deus vester [6]». Scandalum ergo minime accipiendum est,

* p. 81.

[1] *P. Gr.*, LXXV, 397. — [2] MATTH., XXVII, 46. — [3] *P. Gr.*, LXXV, 1325. — [4] *Genes.*, VIII, 21. — [5] I PETR., II, 22. — [6] HOS., I, 9.

si forte dicat Unigenitus, quamvis natura Deus sit « Deus meus, Deus meus »; exinde enim nullum detrimentum patitur, nihilque rursus de gloria sua detrahit, quando ut homo dicit ad Patrem, qui in caelis *est* « Deus meus, Deus meus », quia nos quoque patrem vocamus Deum, utpote qui ad filiationem vocati sumus, et quamvis inveniamur inter creaturas et conditionem servitutis naturaliter habeamus. Quemadmodum ergo filiatio per gratiam non educit nos ab eo quod natura servi simus et cum servis reponamur, ita neque detrudit vere et naturaliter filium ad hoc ut sit servus et creatura sicut nos, id quod oeconomiae cum carne convenit. Hinc, etsi Deum vocat Patrem cum factus est sicut nos et in nostris propter nos ut homo, nihilominus tamen est natura Deus, servans naturae suae propriam nobilitatem et absque mutatione maiestatem et absque laesione dignitatem, etsi caro factus, dum pulchre concedit etiam formae servi id quod singulariter et irreprehensibiliter ipsi debetur [1].»

Quid accuratius aut clarius his divinorum dogmatum definitionibus et legibus, quibus ostenditur individuitas vocum Domini? Dicit enim Unigenitum clamavisse voce humana « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me », cum natura Deus sit et virtus Patris concipiatur, et haec illum pro humanitate, id est, universa natura hominum fecisse et recte gessisse, et totum genus nostrum adeptum esse gloriationem atque fiduciam libertatis per ipsum * a peccato et esse prorsus sine macula, quia pro nobis orationis instar oblatus est *clamor* « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ». Non enim, iuxta stultitiam impiorum, Emmanuel in duo dividitur, neque humanitas eius, seu potius homo quem sibi copulavit Verbum, divise ait: « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ». Adversatus namque doctrinae tam stultae et impiae, sapiens Cyrillus dixit sic: CYRILLUS: « Scandalum ergo minime accipiendum est, si forte dicat Unigenitus, quamvis natura Deus sit « Deus meus, Deus meus »; exinde enim nullum detrimentum patitur, nihilque rursus de gloria sua detrahit, quando ut homo dicit ad Patrem, qui in caelis *est* « Deus meus, Deus meus [2]». Nam et cum se demisit immutabiliter ut fieret forma servi, debita

* p. 82.

[1] Locum non repperi. — [2] Item.

et convenientia characteri dispensatorio et humili tribuens in verbis, quin dedignaretur, voluntarie incarnatus, paupertatis modum suscipere, servat etiam celsitudinem naturae suae insitam absque imminutione ut Deus.

Sed et in libro secundo Thesauri, praeter effata quae paulo supra iam laudavimus, etiam haec affert, ostenditque, cum voluntarie pauper factus est et vere et immutabiliter homo factus est is, qui secundum substantiam Deus est, eum propter nos humano modo locutum esse, dum ea, quae ad salutem nostram spectant, provideret: CYRILLUS: « In cruce Salvatoris nostri Christi gloriamur, et credimus nos per illam salvatos esse, quia, cum Verbum Dei homo factum est, * propter nos et pro nobis crucifixum est, ut mortem in nobis destrueret, rursusque nos secum suscitaret, ex corruptione ad incorruptionem *nos* traducens. Oportebat itaque etiam ab ipso tempore passionis eum vere hominem factum videri, et non secundum quamdam phantasiam hominem putari. Eam ob causam ea, quae homini conveniunt, loquebatur « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me », et « Transeat a me calix iste »; sed demonstrabat operibus se Deum esse pro nobis inhumanatum, atque haec gustantem in cruce propter omnium nostrum salutem. Contraxit enim radios solis et tenebris involvit caelum; scidit petras, terram et velum templi, aliaque insuper patravit miracula, ut Deus inhumanatus appareret. Unde etiam ii, qui eum crucifixerant et prius eum deridebant, videntes ea, quae divinitus fiebant, dicebant: « Vere Filius Dei est iste[1] ».

Et in libro secundo enarrationis explanatoriae evangelii Iohannis haec scribit: « Vides ut exemplum humilitatis factus est nobis Filius, qui in aequalitate est Patris et in forma, ut scriptum est, sed descendit propter nos ad voluntariam exinanitionem et demissionem. Quomodo igitur obedientiae, quomodo humilitatis oportebat apparere habitum, nisi per actiones et sermones dignitate, quae Deum decet, inferiores atque multo minores iis, in quibus erat Verbum adhuc nudum apud Patrem et formae servi non implicatum? Quomodo * enim tandem dicemus eum descendisse, nisi demus eum aliquid passum esse ex iis, quae infra ipsius dignitatem sunt? Quomodo

[1] MATTH., XXVII, 54; *P. Gr.*, LXXV, 397.

* p. 83.
* p. 84.

autem factus est in similitudinem hominum, iuxta effatum Pauli[1], si quod hominibus congruit non sit imitatus? Res autem hominibus convenientissima est adoratio, quae tanquam officium Deo a nobis redditur atque defertur. Itaque adorat quidem ut homo, quia homo factus est, sed adoratur semper cum Patre, quia Deus erat et est et erit secundum naturam et vere[2].» RURSUSQUE, in libro quinto: « Et quemadmodum Filius existens Dei et Patris, et ex substantia eius genitus etiam ante inhumanationem, imo etiam ante omnia saecula, nullo prorsus modo gravatur, dicente Deo et Patre: « Filius meus es tu, ego hodie genui te[3] ». Eum enim, qui ante omnia saecula Deus est, et ex ipso genitus est, hodie genitum esse dicit, ut nos in illo reciperet in adoptionem filiorum; siquidem tota humanitas erat in Christo, in quantum homo factus est. Sic etiam cum Spiritum proprium habeat, dari rursus ipsi Filio *Spiritus* dicitur, ut nos in eo lucremur Spiritum. Hanc enim ob causam, ex semine Abrahae apprehendit, ut scriptum est[4]; assimilatus est autem per omnia fratribus suis. Accipit ergo Spiritum sanctum Unigenitus, non sibi: est enim eius et in eo, et per ipsum datur Spiritus, ut iam antea diximus; sed quoniam homo factus, totam naturam habebat in se, ut eam totam instauraret, ad pristinum *statum* eam restituendo[5].» ET POST PAUCA: « Factus est * igitur homo sicut nos Unigenitus, ut in eo et primo recurrentia bona et fundata Spiritus gratia toti naturae deinceps firmiter servarentur, veluti commodante nobis Verbo Unigenito et ex Deo Patre existente immutabilitatem suae naturae, quia condemnata *erat* natura hominis in Adam, ut quae immutabiliter se habere non posset sed dilaberetur, et facillime, in mutationem. Sicut ergo per mutationes primi *hominis* in totam naturam transiit privatio bonorum, eadem, ut puto, ratione etiam in eo, qui mutationem nescit, lucrum impertitionis[6] donorum divinorum toti generi servatur[7].»

Itaque Unigenitus, Verbum Deus, sine mutatione homo factus, et dualitate naturarum non divisus post unionem inexplicabilem, omnia humilia et humana fecit et tulit et locutus est

[1] Cfr *Philipp.*, II, 7. — [2] *P. Gr.*, LXXIII, 305. — [3] *Psalm.* II, 7, — [4] *Hebr.*, II, 16. — [5] *P. Gr.*, LXXIII, 753. — [6] Interpres legit non διαμονῆς, sed διανομῆς. — [7] *P. Gr.*, LXXIII, 756.

* p. 85.

per oeconomiam, non quod ipse his indiguerit, sed quia totam in se naturam habebat, totumque genus humanum, quod his indigebat. Non enim is, qui voluntarie semetipsum exinanivit et homo fieri non recusavit, humiles illas aut actiones aut voces erubuit, ut exinde in duas naturas dividendus sit, ne *scilicet* ipse horum particeps fiat neque semetipsum exinanivisse atque humiliavisse concipiatur, sed *ut e contrario* omnia adscribantur homini seorsum *constituto,* ei quem « formam servi » et « naturam humanam » et « quod ex semine David » solent vocare ii, qui dividunt *Christum,* psychici et spiritu carentes[1]. At non ita verbum traditum, neque Scripturae inspiratae, neque eorum qui recte illam interpretati sunt. In quibusnam enim ea, quae ad exinanitionem *pertinent,* iam agnoscemus, si natura divina, * cui proprium est ut dicatur se exinanivisse et humiliavisse quatenus super omnia est atque naturaliter celsitudinem habet, extra ea, quae exinanitioni congruunt, sive actiones sive sermones, fuit, natura vero humana rursus separatim et agit et patitur et loquitur?

* p. 86.

At iterum procedit sanctus Cyrillus et pugnat adversus hanc sententiam pollutam et blasphemam, in libro septimo expositionis evangelii Iohannis, sic: Cyrillus: « Est enim Filius perfectus in omnibus, quique nullo tandem ex bonis indigeat, siquidem genitus est ex substantia Dei et Patris, et plenus quidem est virtute atque gloria quae Deum decent, omnia autem sub pedibus suis habet. Nihil est quod non possit virtus eius; omnia enim potest, iuxta verbum sanctum. Attamen, quamvis omnium potestatem habeat, petere a Patre dicitur et accipere populos et terminos terrae, praeclarae haereditatis instar[2]. Sed quomodo aut quandonam accipiat, necesse est inquirere; utile enim revera et necessarium est horum tempora scrutari et momenta considerare subtilemque personarum investigationem instituere. Itaque postquam homo factus est, postquam semetipsum exinanivit, ut scriptum est[3], postquam descendit ad similitudinem eorum, quibus congruit ut orent, tunc ea, quae homini congruunt, operatur et loquitur, eaque dicuntur perfici erga illum a Patre. Ubinam enim exhibuit figuram humilitatis,

[1] Cfr Iud., 19. — [2] Cfr *Psalm.* II, 8. — [3] *Philipp.*, II, 7.

aut quomodo clare apparuit exinanitio, nisi quia voluntarie pertulit aliquid praeter suam dignitatem, cum semetipsum pro nobis exinanivit? * Sicut ergo fatigatus est labore itineris[1], cum sit Dominus virtutum, et sicut indiguit cibo, cum sit panis qui de caelo descendit et dat vitam mundo[2], et sicut tulit mortem in carne, cum is sit in quo movemur et sumus[3]: sic petivisse dicitur, cum sit Dominus omnium. Non autem tunc primum ad regiam dignitatem vocatum esse Unigenitum, cum homo factus est, ostendere quidem planum est, sed de hoc multum disputare, ignorantiae proximum. Hoc igitur potius dicemus de eo, quod dixisti. Oravisse Dominum propter Lazarum censes, eique sic restituisse vitam. Sed nunquam hoc censuisses, si cetera recordatus esses. Non enim dixit tantum « Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me[4] », sed addidit « Propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti[5] ». Exinde clare vides causam orationis. Quia nempe Iudaei impie agebant et calumniari audebant, Domino miracula patrante, atque dicebant eum in Beelzebub ea, quae Deo congruunt, facere, merito hanc suspicionem expellens atque ostendens se omnia cum Patre tanquam Deum operari, non autem sicut falsos quosdam prophetas a seipso venisse ut iuxta propriam voluntatem loqueretur ea, quae Deo non congruunt, dicit: « Propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant qui tu me misisti ». Nisi ergo sententiam circumstantium debuisset emendare per hoc quod putaretur desuper et a Patre miraculum circa Lazarum *patratum* obtinuisse, minime dixisset « Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me ». * Cum enim ipse sit et voluntas et verbum et sententia Patris super omnia bona, quamnam sententiam quaereret, aut quamnam voluntatem, aut quodnam verbum genitoris sui, ut aliquod ex operibus obtineret? Cum autem Patrem in se naturaliter habeat, ipseque sit in Patre propter identitatem substantiae, quomodo a Patre peteret tanquam remotus ab illo? Aut quomodo non potuisset ab uno corpore tristem expellere mortem, qui etiam ab initio ex insensibili *materia* hominem plasmavit et anima menteque praeditum exhibuit? Accipiamus ergo genuinum fidei verbum, non ex iis

* p. 87.

* p. 88.

[1] Ioh., IV, 6. — [2] Ioh., VI, 33. — [3] *Act.*, XVII, 28. — [4] Ioh., XI, 41. — [5] *Ibid.*, 42.

quae quidam indocte loquuntur, sed ex Scriptura inspirata, in qua nihil perversum aut depravatum habetur[1].»

Similiter etiam in libro duodecimo expositionis evangelii Matthaei scripsit: « Et hymno dicto, exierunt in montem olivarum[2]. Cum necessitati atque utilitati corporis satis tribuissent 5 per ea, quae propter naturam evenerunt, consumptis cibis statim ad gratiarum actiones se convertunt et coetum Deo sanctum constituunt, adstante inter illos *et* cum illis gratias agente eo, cui gratiae aguntur. Illi enim ut homines et servorum naturam sortiti, glorificant creatorem omnium et Deum et Sal- 10 vatorem tanquam dominum, eique debitum officium laudibus persolvunt; ipse autem, quamvis natura sit filius atque ex officio nullius rei debitor sit Deo et Patri, imo potius cum illo gratias et laudes accipiat, quia *tamen* homo factus est id, quod congruit homini, adimplet et in hoc quoque servi formam 15 servat[3].» Et post pauca: « Itaque et hic cum illis gratias agit, * p. 89. dispensationi cum carne id cum aliis concedens. Sic * studentes intelligere omnia quae humanitus dicuntur de illo, et locum, qui Dominum decet, servabimus Filio, et mysterium dispensationis propter nos ac pro nobis adimpletum indocte non dede- 20 corabimus[4].»

Nimium autem esset atque iustam excedens mensuram omnes sancti Cyrilli huc spectantes institutiones afferre, cum iam ea, quae allata sunt, abunde et perfectissime *nos* edoceant, tradendo agnoscendam differentiam vocum Do- 25 mini, nonnullas *scilicet* esse Deo dignas, alias autem homine dignas, aliis vero promiscue utramque *rationem* inesse, sed ab uno tamen *omnes* dici, *scilicet* a Deo inhumanato. Neque necesse est, sicut Tomus Leonis, dividere Emmanuelem duplicitate naturarum post unionem, atque unicuique naturae vocem 30 imponere dicendo: Leo: « Non eiusdem naturae est dicere « Ego et Pater meus unum sumus », atque dicere « Pater meus maior me est »[5]; aut sicut Nestorius, dicere: Nestorius: « Qui dixit « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me », natura humanitatis erat, o sapiens »[6]; neque rursus, sicut 35 Theodoretus, scribere: Theodoretus: « τὸ ex semine David, ...

[1] Locum non repperi. — [2] Matth., xxvi, 30. — [3] Locum non repperi. — [4] Item. — [5] *P. Lat.*, LIV, 769. — [6] Loofs, p. 360.

τὸ ad Iohannem locutum « Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam[1] »; aut interrogare et dividere et tanquam de duobus dicere: Theodoretus: « Quis ergo orabat et preces supplicationesque cum clamore valido et lacrymis offe- 5 rebat[2]? », atque negando dicere: « Non Deus Verbum[3] », et addere: « Itaque haec propria sunt humanitatis assumptae, quae et mortem metuebat, et orationem offerebat[4] », rursusque: « Cum igitur de uno Filio audieris voces * oppositas, conve- * p. 90. nienter naturis divide ea, quae dicuntur[5].»

10 Adversatus autem istis omnibus, et insecabilem agnoscens unum Christum tanquam Deum inhumanatum, insecabiles agnoscit etiam voces *Cyrillus*, easque solummodo distingui vult, dicens « Distinguantur voces »; neque rursus dixit « Dividantur ». Etenim distinctione cognoscitur differentia, propterea 15 quod is, qui naturaliter Deus est, propter nos homo factus est absque phantasia et conversione, ut idem tanquam Deus et tanquam homo loquatur. Non enim eum puduit humanitus loqui, sicuti neque incarnari et inhumanari; nam misericordia et universalis salus causa est eorum, et quantum descendit ob 20 suam erga nos miserationem, sustinendo crucem confusione contempta, ut scriptum est[6], tantum exaltata sunt ea, quae gloriae eius *sunt*, quia operatus est salutem mirabilem, ipsi soli congruentem atque potentem iis, quorum spes abscissa erat, quique insanabiles erant et ad ima delapsi mala, unde 25 nulla eis erat facultas assurgendi. Non enim legatus, non angelus, sed ipse Dominus salvavit nos; quapropter elevata est magnificentia eius super caelos propter inimicos eius, ut destruat inimicum et ultorem; haec enim propheta David mystice prius cecinit[7]. At, quandonam inimicus et ultor destructus 30 est, nisi cum crux erecta est et victima ascendit agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, et mors calcata est per * resurrec- * p. 91. tionem, et ad caelos ascendit is, qui secundum substantiam incorporalis, et propter dispensationem corporalis est? Qui crucifixus et immolatus et passus est secundum quod incar- 35 natus est, et secundum quod erat, remansit inaccessus omni passioni; qui sepultus est, descenditque ad loca subterranea;

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 437. — [2] *P. Gr.*, LXXV, 1457. — [3] *Ibid.* — [4] *Ibid.* — [5] *P. Gr.*, VI, 1225. — [6] *Hebr.*, xii, 2. — [7] Cfr *Psalm.* viii, 2-3.

qui in omnibus, in quibus eramus, factus est, excepto solo peccato, ne unum quidem locum relinqueret inimico et ultori. Quis autem est iste, nisi diabolus qui, tanquam inimicus, nos in lapsum induxit, cum custodiremus mandatum et operaremur bonum, ac per deceptionem nos ad concupiscentiarum suavitatem abripuit, atque postquam *nos* decepit, conscientiae reprehensione *nos* urget et ad desperationem impellit, et ante faciem peccatoris transgressionem producit, velut ultor quidam divinae legis?

Cum isto, ut ita dicam, universali et principali inimico et ultore, alium etiam specialem inimicum et ultorem destruxit, turbam invidam et impiam Iudaeorum, maximeque scribarum et pharisaeorum, quae per invidiam facta est ei inimica, legis autem per Moysen a Christo conditae ultricem se esse praetexuit, et sanationem aegrotantium sabbato *factam* et alia huiusmodi vituperabat, atque violationem legis haec esse decernebat. Ideo enim psalmista, postquam pluraliter dixit « propter inimicos tuos », singulariter addidit « ut destruat inimicum et ultorem »; communiter enim et aeque inimici sunt diabolus atque Iudaei, quia unus et idem affectus est illis * Deo hostilis et invidus et hominibus infensus, singillatim vero unusquisque, propter eas, quas dixi, causas inimicus *est* et ultor. Rursusque communiter feriuntur, cum ex ore infantium et puerorum laudem sibi parat[1]; Iudaeis enim iuxta ipsam historiam statim et absque mora hoc accidit, cum viderent quomodo eum sedentem super pullum asinae praecederent pueri portantes ramos palmarum cum turbis, et in ipsum templum sacrum ingrederentur, clamantes « Hosanna filio David » et « Hosanna in excelsis »; ipsi autem irascebantur et increpabant eum, qui modo Deo decenti glorificabatur, atque putabant eum laudem tanquam blasphemiam a se reiecturum, et dicebant: « Audis quid isti dicunt »; sed ab eo audiebant ipsum laudem suscipere tanquam sibi congruam atque convenientem; erat enim Deus vere et immutabiliter homo factus, qui dicebat: « Utique; nunquam legistis quia ex ore infantium et puerorum perfecisti laudem?[2]» Hoc autem expertus est paulo post et diabolus cum

* p. 92.

[1] Cfr *Psalm.* VIII, 3. — [2] MATTH., XXI, 7 et sq.

vidit omnes, ut ita dicam, populos qui pueriliter sese gesserant in cogitationibus suis, conversos ab insipientia sua, repudiantes errorem paternum cultus idolorum; puerorum instar, receperunt praedicationem regni caelorum in caritate divina, fide non ficta et indubio assensu; sic facti sunt malitia parvuli, sensibus autem perfecti[1]; prius suxerunt velut lac verbum, quod ad pietatem ducit, ab iis qui, sicut Paulus, docebant dicentes: « Sicut parvulis lac vobis potum dedi, non * escam[2]»; sicque laudem plenam, id est, perfectam et integram dederunt Deo, qui ad hoc eos vocavit. Et haec rursus nunc etiam videns inimicus et ultor, diabolus qui destructus est, pungitur, sed utique cum illo et Iudaei punguntur.

* p. 93.

Quid autem sibi vult *effatum*: « Elevata est magnificentia tua super caelos[3]»? Solet divina Scriptura saepe caelos vocare virtutes intellectuales et angelicas et caelestes, ut apud Esdram dixit de veritate « Quia omnis terra veritatem invocat, caelum etiam ipsam benedicit[4]», et Dominus in evangelio docet nos, dicens « Gaudium erit in caelo super uno peccatore paenitentiam agente[5]». Ita etiam accipiendum est id, quod in Isaia propheta dicitur « Laetamini caeli, quoniam misericordiam fecit Deus Israel[6]», rursusque « Laetentur caeli desuper[7]». Eodem modo intelligendum est etiam id, quod David psallit « Exsultet terra, quia Dominus regnavit[8]». Cum enim Dominus regnavit in nobis per scientiam et per iustitiam, quae *est* in operibus et in contemplatione, pro peccato, quod antea super nos regnavit, seu potius *adversus nos* rebellavit, laetati sunt caeli et terra, id est, qui in illis habitant. Ex multis locis ostendi potest etiam de terra hoc dixisse sanctam Scripturam; et statim, *verbi gratia,* in libro Genesis « Et esurivit tota terra Aegypti[9]», rursusque « Et omnes regiones venerunt in Aegyptum ad Ioseph ad emendum frumentum: obtinuerat enim fames in tota terra[10]»; et in libro primo Regum « Et omnis populus non gustavit panem; et omnis * terra delectabatur[11]»; nam quoad illa *verba* evidens est neque esuriisse,

* p. 94.

[1] Cfr I *Cor.*, XIV, 20. — [2] I *Cor.*, III, 2. — [3] *Psalm.* VIII, 2. — [4] III ESDR., IV, 36. — [5] LUC., XV, 7. — [6] ISAI., XLIV, 23. — [7] *Ibid.*, XLV, 8. — [8] *Psalm.* XCVI, 1. — [9] *Gen.*, XLI, 55. — [10] *Ibid.*, 57. — [11] I *Reg.*, XIV, 24, ubi tamen legitur: καὶ πᾶσα ἡ γῆ ἠρίστα.

neque delectatam esse terram, neque rursus regiones in Aegyptum venisse ad emendum frumentum, sed ad incolas illa pertinere.

Itaque, quia Paulus, ad Ephesios scribens *atque* ostendens per inhumanationem divinam supernas virtutes didicisse ea, quae prius ignorabant, et per ecclesiam illis innotuisse multiformem Dei sapientiam, scripsit sic: « Ut innotescat nunc principatibus et potestatibus, quae in caelis *sunt*, per ecclesiam multiformis sapientia Dei[1] »: omnibus manifestum est exaltatum et elevatum esse, ac praetergressum mensuram scientiae, quam spiritus caelestes et immateriales prius habebant, verbum altum et eximium inhumanationis, quae varietatem sapientiae Dei ostendit. Quapropter David quidem, futurum mysterium praevidens et mente illud depingens, psallebat: « Quoniam elevata est magnificentia tua super caelos[2] »; Habacuc autem idipsum magnificans et vehementer admirans, dicebat: « Et operuit caelum gloria eius[3] ». Iamvero, quomodo is, qui voluntarie factus est pauper, cum esset dives, ut nos illius inopia, ut dixit Paulus, divites essemus[4], voces inopiae atque exinanitioni congruentes reiecturus erat, is *inquam*, cuius gloria et magnificentia *caelum* operuit et exaltata est super caelos? Et ideo is ipse, qui exinanitus et inhumanatus erat, dicebat: « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me[5] », et « Transeat a me calix iste[6] », verba quae pro tota natura nostra et genere nostro * *proferebantur* loquendo, et *nobis* comparando supernam reconciliationem et pacem, plantando autem in nobis fortitudinem eamque loco timoris immitendo, atque *nos* docendo ut in luctis pro iustitia rogemus ut transeat periculum absconditum, et virtuti nostrae minime fidentes, dicamus « Verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut tu[7] ». Docet enim sanctus Cyrillus: CYRILLUS: « Unigenitus, cum factus est homo sicut unus ex nobis, etiam pro universa natura eiusmodi voces dicebat[8]. » Et in libro duodecimo expositionis evangelii Matthaei rursus dixit: CYRILLUS: « Itaque *effatum* « Non sicut ego volo, sed sicut tu », transformationem atque translationem naturae

* p. 95.

[1] *Ephes.*, III, 10. — [2] *Psalm.* VIII, 2. — [3] HABAC., III, 3. — [4] II *Cor.*, VIII, 9. — [5] MATTH., XXVII, 46. — [6] MATTH., XXVI, 39. — [7] *Ibid.* — [8] *P. Gr.*, LXXV, 1325.

hominis a pusillanimi timore ad spiritualem fortitudinem maxime significat. Etenim non oportere quodcumque nobis suave et amabile *est* eligamus et diligamus prae iis, quae Deo placent, etiamsi magnum et grave periculum immineat, primum in Christo et per illum didicimus. Eodem modo etiam orabat quidem ut homo, glorificabatur autem cum Patre ut Deus[1]. » Nam et hoc audivimus magistrum dicentem: CYRILLUS: « Cum natura sit filius, atque quasi ex officio nullius rei debitor sit Deo et Patri, imo potius cum illo gratias et laudes accipiat, quia *tamen* homo factus est id, quod congruit homini, adimplet et in hoc quoque servi formam servat[2]. »

Haec igitur etiam admirari deberemus, non autem e contrario, ut quae ignominiam inferant ei, qui in gloria perfectus est atque propter nos confusionem contempsit, * parva et vilia existimare, neque ideo illum in duo dividere vocesque proprias et actiones dare et tribuere naturae humanae et formae servi, sicut fallacibus verbis dicunt ii, qui dualitatem filiorum profitentur. Ab hac enim stultitia nos removens sanctus Cyrillus, in libro secundo expositionis evangelii Iohannis etiam haec dicit: CYRILLUS: « Etenim, quia servilem formam induit, ministerium servo conveniens explet, non amittens esse Deus et Dominus et adorandus; manet enim idem, etsi homo factus, ubique servans rationem dispensationis cum carne. Quodsi eximiam et supra naturam videris eius humilitatem, admirabundus subi, non accusator, non reprehensor, sed potius imitator. Tales nos videri vult Paulus, dicens: « Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu; qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominis factus et habitu inventus ut homo humiliavit semetipsum[3] ». RURSUSQUE, in libro quinto: « Praeterea, illud insuper tibi dicere necessarium iam videtur, curam scilicet Filio fuisse maximamque sollicitudinem semper imminuendi suam dignitatem et haud multum modo, qui Deum decet, loquendi, propter formam servi et propter humilitatem * exinde propter nos assumptam. Ubinam enim se demisit, aut ex quibusnam ad

* p. 96.

* p. 97.

[1] Locum non repperi. — [2] Item (cfr supra, p. 62, l. 12). — [3] *Philipp.*, II, 7-8; *P. Gr.*, LXXIII, 304.

quaenam ceterum transiit, nisi aliquid etiam demisse loquatur divinaque gloria minus dignum? Idcirco enim saepenumero etiam ea, quae ut Deus novit, se nescire fingit ut homo. Quod quidem clare videbis in narratione de Lazaro, ex Bethania scilicet, quem virtute mirabili atque voce Deo congrua iam 5 quatriduanum et faetentem ad vitam reducem effecit. Sed vide mihi dispensationem hac in re velut arte dispositam. Cum enim sciret Lazarum mortuum esse, idque praenuntiavisset discipulis suis ut Deus, humanitus sciscitabatur, dicebatque: « Ubi posuistis eum[1]?» O rem admirabilem! Qui, cum procul alicubi 10 a Bethania esset, non ignoraverat ut Deus mortuum esse Lazarum, quomodo interrogabat ut sepulchrum cognosceret? Sed, optima sapiens dices eum simulando interrogasse, utile nonnihil ordinantem. Accipe ergo etiam in hoc cum per dispensationem ea, quae ut Deus novit, sese a Patre didicisse 15 asserentem[2].»

Eadem recta doctrina instructus comparet etiam sapiens Iohannes, episcopus Constantinopoleos, in oratione sexagesima quarta expositionis evangelii Iohannis sic *scribens*: IOHANNES: « Quod saepe dixi, hoc et nunc dicam: Deus non tam suam 20 dignitatem quam nostram salutem respicit, neque magnum quidpiam * dicere *quaerit*, sed quod nos attrahere possit. Ideo * p. 98. magna et sublimia solummodo pauca et subobscura dicebat, humilia vero et abiecta multa perfundebantur in sermonibus eius. Etenim, quia his magis alliciebantur *auditores*, his immo- 25 rabatur; non tamen haec semper loquebatur, ne posteri detrimentum caperent; rursusque haec non tacebat, ne praesentes scandalizarentur. Qui enim ad perfectionem devenerint, vel ex uno sublimi dogmate totum percipere poterunt; adstantes autem, cum essent imperfecti, nisi frequenter haec audivissent, 30 non apprehendissent. Utique, neque post haec omnia quiescunt, sed et *eum* lapidibus impetunt, persequuntur et occidere tentant, atque blasphematorem eum vocant quando aequalem Deo seipsum facit. Et modo quidem dicunt « Blasphemas, quia facis teipsum Deum[3]», modo autem « Hic blasphemat[4]», 35 quia dixit « Remittuntur tibi peccata tua[5]»; rursusque daemo-

[1] IOH., XI, 34. — [2] *P. Gr.*, LXXIII, 845. — [3] IOH., X, 33. — [4] MARC., II, 7. — [5] *Ibid.*, 5.

niacum eum vocabant quando dicebat morte superiorem eum esse qui verba eius audit; et quando dicebat « Ego in Patre meo et Pater meus in me[1]», relinquebant eum, et scandalizabantur etiam quando dicebat se de caelo descendisse. Si ergo haec, 5 etsi rarius dicta, non ferebant, utique si per omnia sublimis fuisset eius sermo et in omnibus ita comparatus, ad eum non attendissent. Quando ergo dicebat « Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic loquor[2]», et « Ego a meipso non loquor quidquam[3]», tunc credebant in eum; tunc etiam significat evange- 10 lista *illos credidisse, dicendo* « Haec * illo loquente[4]». Si ergo * p. 99. humilium verborum prolatio eos ad hoc, ut crederent, trahebat, sublimium autem prolatio *eos ab* hoc repellebat, quomodo extremae dementiae non esset non considerare causam humilium *dictorum*, quia nempe propter auditores proferuntur? 15 Siquidem alio loco, cum magnum quidpiam vellet loqui, tacuit et causam hanc addidit, dicens: « Ne scandalizentur, proice hamum in mare[5]». Hoc ergo etiam hic *facit;* nam postquam dixit « Scio quia semper me audis », addidit « Propter turbam circumstantem dixi, ut credant[6]». Numquid nostra sunt 20 haec verba? Numquid humana coniectura? Cum ergo ex ipsis rebus convincamur eos propter sublimia *verba* esse scandalizatos, ipseque dicat « ideo humilia loquor, ne scandalizentur »; quis iam putabit ad naturam *eius* pertinere humilia verba, non autem ad condescensionem? Et alibi, voce desuper demissa, 25 dicebat: « Non propter me haec vox facta est, sed propter vos[7]». Atqui, magno quidem licet multa humilia de se loqui; vili autem nunquam licet magnum quidpiam et sublime *de se* dicere: illud enim per condescensionem fit, causamque habet imbecillitatem erudiendorum et inductionem ad humilitatem, 30 et carnem qua indutus est, et institutionem auditorum, ne *scilicet* magnum quid de seipsis dicant, itemque ne Deo adversarius putetur, neque credere recusent eum a Deo venisse ac suspicantur eum solvere legem; insuper, invidiam auditorum et firmissimum Veteris Testamenti effatum: « Dominus Deus tuus, 35 * Dominus unus est[8]». Quod autem is, qui vilis est, magnum * p. 100.

[1] IOH., XIV, 11. — [2] Cfr IOH., XIV, 31. — [3] Cfr IOH., VIII, 28. — [4] *Ibid.*, 30. — [5] MATTH., XVII, 27. — [6] IOH., XI, 42. — [7] IOH., XII, 30. — [8] *Deuter.*, VI, 4.

quidpiam de seipso loquatur, nullam prorsus habet causam, neque iustam, neque iniustam, sed superbia est solummodo et impudentia atque inexcusabilis audacia. Cur ergo humilia loquitur, cum sublimis et ineffabilis huius substantiae sit? Tum iis, quas diximus, de causis, tum ne ingenitus[1] esse putetur[2].»

Et post pauca: «Et quid dico Filium id fecisse, ubi et Pater, qui tamen carnem non induit, permisit multa humilia de seipso dici propter audientium salutem? Illud enim «Adam, ubi es[3]?», et illud «Ut cognoscam si forte secundum clamorem eorum perficiant[4]», et illud «Nunc cognovi quod tu timeas Deum[5]», et illud «Si forte audiant, si forte intelligant[6]», et illud «Quis det cor populi huius sic esse[7]?», et quod dicatur «Non est similis tui in diis, Domine[8]», multaque alia huiusmodi in Veteri Testamento si quis colligat, indigna Dei maiestate *ea* inveniet. Et id quod de Achab dicitur «Quis decipiet mihi Achab[9]?», et ea quae, facta cum diis gentilium comparatione, sibi tribuit, omnia sunt Deo indigna, sed tamen alia ratione fiunt digna, quia *nempe* ita benignus est erga homines, ut propter nostram salutem etiam a verbis, quae dignitati suae congruunt, abstineat. Imo, hoc ipsum quod homo fiat, et indignum est et dignum; quod servi formam accipiat et verba humilia loquatur, viliaque sufferat, illo indignum est, si quis maiestatem eius * respiciat, dignum autem si quis ineffabilem magnitudinem benignitatis eius secum reputet[10].» Et post alia: «Ego autem scio quia semper me audis[11], id est: ut fiat voluntas mea, non egeo oratione ut tibi suadeam; una enim est *nobis* voluntas. Cur ergo oras? Propter infirmos et imperfectos. «Et cum haec dixisset, clamavit voce magna: Lazare, veni foras[12].» Cur non dixit «In nomine Patris veni foras»; cur non dixit «Suscita illum, Pater», sed missis his omnibus et figura orantis assumpta, per ipsas res auctoritatem demonstrat? Quia et hoc ad sapientiam eius pertinet, verbis quidem descendere, sed operibus ostendere potentiam[13].» Rursusque post alia: «Facto autem miraculo, alii mirabantur,

* p. 101.

[1] ἀγέννητος. — [2] *P. Gr.*, LIX, 353. — [3] *Gen.*, III, 9. — [4] *Ibid.*, XVIII, 21. — [5] *Ibid.*, XXII, 12. — [6] Ezech., III, 11. — [7] *Deuter.*, V, 20. — [8] *Psalm.* LXXXV, 8. — [9] *Paralip.*, XVIII, 19. — [10] *P. Gr.*, LIX, 356. — [11] Ioh., XI, 42. — [12] *Ibid.*, 43. — [13] *P. Gr.*, LIX, 357.

alii autem Pharisaeis nuntiabant. Quid igitur illi? Cum mirandum et obstupescendum illis fuisset, volebant eum interficere, qui suscitaverat mortuum. O insipientiam! Eum, qui in aliorum corporibus mortem vicerat, morti se tradituros esse putabant. Et dicebant: «Quid faciemus, quia hic homo multa signa facit[1]?» Hominem illum adhuc vocas, qui tantam demonstrationem accepisti divinitatis eius. «Quid faciemus?» Credere oportebat et colere et adorare, neque amplius hominem existimare[2].» Similiter autem et in expositione evangelii Matthaei, explanando effatum «De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli, neque Filius, nisi solus Pater[3]», sic scripsit: Iohannes: «Dicendo «neque angeli», * eos repressit, ne quaererent discere ea, quae illi nesciunt; dicendo autem «neque Filius», prohibuit non modo ne discerent, sed etiam ne quaererent. Hoc enim ideo dictum fuisse: vide post resurrectionem quomodo, quia illos curiosiores vidit, vehementius eos represserit. Nunc enim signa dixit multa *ultimae diei*, sed tunc simpliciter *respondit*: «Non est vestrum nosse tempora vel momenta[4]». Et post pauca: «Nam qui saecula fecit, sane et tempora et diem *fecit*; quomodo ergo quam fecit ignorat[5]?»

* p. 102.

Attamen, si post unionem inexplicabilem duplicitate formarum seu naturarum divisum novisset Christum, ipseque cum *Christo* etiam differentiam vocum ad divisionem perduxisset, debuisset sicut iniquus Theodoretus dicere: Theodoretus: «Cum igitur audieris de uno Filio diversas voces, convenienter divide naturis ea, quae dicuntur[6]», et: «Non ergo Dei Verbi est ignorantia, sed formae servi, quae tanta tunc sciebat, quanta divinitas inhabitans revelabat[7]». Nunc autem argumenta multa suppeditavit ex Scriptura inspirata, *quae probant* Deum inhumanatum insecabilem esse, atque divinitus excelsa locutum, et per dispensationem humanitusque humilia.

Illud ipsum docuit etiam praestantissimus magnusque Basilius, cum orationem de fide habuit, sic: Basilius: «Quaecumque autem postea ex corporali constitutione tibi loquitur, hominum dispensans salutem, quam per carnem manifestatus nobis

[1] Ioh., XI, 47. — [2] *P. Gr.*, LIX, 358. — [3] Matth., XXIV, 36. — [4] *Act.*, I, 7; *P. Gr.*, LVIII, 702. — [5] *P. Gr.*, LVIII, 703. — [6] *P. Gr.*, VI, 1225. — [7] *P. Gr.*, LXXVI, 412.

* p. 103. exhibuit, se missum esse * dicendo et non posse a seipso facere quidquam, et mandatum accepisse, et cetera omnia huiusmodi, ne occasiones tibi praebeant ad parvipendendam divinitatem Unigeniti. Etenim condescensio eius ad tuam infirmitatem imminutio non debet fieri dignitatis potentis; sed naturam quidem congruenter Deo intellige, humiliora autem verba secundum dispensationem accipe[1].» Igitur Unigenitum scit esse Deum demissum, secundum corporalem dispositionem nobis locutum; etenim eius, qui per naturam incorporalis est, per dispensationem proprium factum est quod incorporetur, et excelsi quod se demittat atque per omnia humilia, tum facta, tum verba, procedat.

Itaque eius, qui inhumanatus est et exinanitus et humiliatus, non autem naturae humanae aut formae servi, aut eius, qui *est* ex semine David, sicut desipere solent ii, qui separant et dividunt insecabilem incarnationem, est ut dicat seipsum missum esse, a seipso non posse facere quidquam, mandatum accepisse, et cetera his similia atque propinqua. Si enim dividendo dicamus naturae humanae esse talia loqui, nihil prorsus est ipsum nomen dispensationis et exinanitionis et condescensionis; nam humana natura sibi convenienter atque congruenter humana loquitur, minimeque se demittendo, aut dispensative agendo, aut aliquid se inferius sibi attribuendo vel accipiendo. Pronum autem est videre clarissime quomodo Nestorium, naturae humanae nomen remque apostolatus tribuentem, producat sanctus Cyrillus, in tomo secundo eorum, quae scripsit adversus * p. 104. * illius blasphemias: NESTORIUS: « Misit enim, inquit, Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege. Hoc loco indicat quidem duas naturas; quod autem evenit, de inhumanatione dicit. Secus, contentiosum rogo: quisnam factus est sub Lege? Deum Verbum[2]?» RURSUSQUE, in tomo tertio: « Apostoli namque nomen audientes, Deum Verbum intelligunt apostolum; pontificis appellationem legentes, divinitatem sibi fingunt esse pontificem. Mirum dementiae exemplum! Quis enim apostoli ministerium discens, non statim intelligit hominem indicari? Quis appellationem pontificis audiens, divinitatis substantiam pontificem existimat[3]?»

[1] *P. Gr.*, XXXI, 468. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 72. — [3] *Ibid.*, 116.

Infelix quidem iste, dividens unicum Christum dualitate naturarum post ineffabilem unionem, missionem et cetera similia naturae humanae separatim tribuit, et absurda argumentatione usus, tanquam non factum hominem Deum Verbum removet ab eius benignissima et voluntaria exinanitione. At Basilius, rerum divinarum peritissimus, sciens illa esse ipsius propria, minimeque ab ipso aliena, dixit: BASILIUS: « Cetera omnia huiusmodi, ne occasiones tibi praebeant ad parvipendendam divinitatem Unigeniti. Etenim condescensio ad tuam infirmitatem imminutio non debet fieri dignitatis potentis[1].» Sic ergo tum hic, tum ii omnes, qui verbum sanum et dogma verae fidei elucidaverunt, inhumanatum non diviserunt, sed eum indivisibilem servaverunt minimeque post unionem dualitate * naturarum dissecuerunt; quae vero in inhumanatione * p. 105. eius facta et dicta sunt, sciunt utique esse diversa, — alia nempe excelsa et Deo digna *sunt*, alia humilia, dispensativa et humana, — minime vero singulis naturis divisa, quia unum et eundem cognoscebant Deum et hominem, qui haec et illa egit et locutus est, rursusque passiones voluntarias nullumque peccati crimen inferentes sustinuit in carne passionis capaci, anima rationali praedita.

CAPUT SEPTIMUM

Quod tempora determinabant Doctores, *tempus* ante inhumanationem et *tempus* post inhumanationem et quasi sibimet conferebant Verbum Dei, prius quidem carnis expers, postea vero carne indutum, cum prohiberent quominus Ariani humilia, quae in carne voluntariae paupertatis *tulit*, ad essentiam saeculis antiquiorem efferrent, absque sectione autem Illud vel incarnatum servarent, quod divinitus et humanitus et operatum et locutum et carne passum est.

Tempora ergo distinguebant deiferi Doctores: *tempus* ante incarnationem dico et *tempus* post incarnationem. Etenim, cum impii Ariani ea, quae post incarnationem secundum dispensationem facta sunt a Deo Verbo, referrent ad essentiam eius et divinitatem saeculis antiquiorem, Patres comparatione temporum blasphemum artificium * eorum redarguerunt. Sic * p. 106.

[1] *P. Gr.*, XXXI, 468.

verbi gratia, dicente in Actibus Petro apostolo, cum Iudaeos alloqueretur: « Certissime ergo sciat omnis domus Israel, quia Dominum et Christum eum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis [1] », incomprehensibili quadam dementia irruentes canes Arii in hanc sententiam, asserebant exinde apparere Verbum Dei, quod *est* ante saecula, esse creaturam, siquidem dicit *Petrus* « Eum fecit Deus ». At, veritatis doctores, tempora distinguendo, reprimunt insipientiam eorum; nam « In principio erat Verbum [2] », et postea « Verbum caro factum est et habitavit in nobis [3] ». Cum ergo immutabiliter factum est caro et ex Maria deipara secundum carnem natum est, tunc dicitur quod Illud Deus et Pater Dominum et Christum fecit; secus enim ei non conveniret ut ungeretur, si factum non fuisset homo, cui convenit ut ungatur. Unctum est autem proprio suo Spiritu, quem quidem secundum substantiam ut Deus in se habebat, sed recipiebat idem ipse ut Deus, propter nos, extrinsecus descendentem sub forma columbae, ut universo generi immitteret gratiam, utpote alterum principium et secundus Adam nobis factum, non autem tanquam sibi ipsi eum accipiens Spiritum, quem naturaliter inditum habebat. In hunc enim sensum tendit hoc quod dicebat « Pro eis ego sanctifico meipsum [4] ».

Itaque is, qui factus est homo, factus est Christus et Dominus et rex. Audiebat enim, quamvis naturaliter Dominus esset, et regnaret cum Deo et Patre: « Postula a me, et dabo tibi gentes in haereditatem tuam, possessionem tuam * terminos terrae [5] ». Tunc ergo factus est Christus et Dominus, cum etiam factus est caro, id est, incarnatus est immutabiliter ex Maria, et ex ea secundum carnem natus est. Proinde illud « Eum fecit Christum » accommodetur huic « Factus est caro », nam sub eodem tempore utrumque *evenit*; minime evehantur *ista effata* ad illud « In principio erat ». Etenim, qui erat in principio Deus, non erat simul creatura, nam eundem secundum idem indefinite, aeternaliter et illimitate in principio esse cum Deo et Patre, qui semper est, et in tempore esse creaturam, impossibile est; sed evidens est quod hoc « erat » in quantum Deus et ex Deo Patre *est*, sed illud « factus est » et « effectus est » in

* p. 107.

[1] *Act.*, II, 36. — [2] IOH., I, 1. — [3] *Ibid.*, 14. — [4] IOH., XVII, 19. — [5] *Psalm.* II, 8.

quantum idem pro nobis novissimis diebus incarnatus et inhumanatus est.

Tempora ergo distinguens, minime autem Emmanuelem dividens, sanctus Basilius, in oratione syllogismorum adversus Eunomium haec scripsit: BASILIUS: « Si genitura, ait, est Filius, non factura, quomodo dicit Scriptura « Certissime ergo sciat omnis domus Israel, quia Dominum et Christum fecit eum Deus [1] »? Itaque etiam hic dicendum est de eo, qui ex Maria *est* secundum carnem, *id* dici, quemadmodum quoque angelus bonum nuntium afferens pastoribus dixit: « Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus [2] ». Nam illud « hodie » de eo, qui *est* ante saecula, intelligi non potest; clarius autem id, quod sequitur, *idem* ostendit, ubi dicit « Hunc Iesum, * quem vos crucifixistis [3] ». Manifesto ergo Doctor, dicendo « de eo, qui ex Maria *est* secundum carnem », ostendit se eundem nosse non secundum carnem natum esse ex Patre; nam si secundum carnem est generatio, quae *est* in corpore, evidens est non secundum carnem esse eam, quae est incorporalis. Iamvero, nemo sensatus dicit talem hominem ex matre sua secundum carnem natum esse; Christus autem, quia secundum quod Verbum est, generatur etiam ante saecula modo incorporali, quasi ex quodam intellectu, ex Deo et Patre, aptissime idem dicitur etiam secundum carnem natus ex muliere. Rem autem ita se habere docet etiam eximius Cyrillus, in oratione secunda ad Theodorum mopsuestenum: CYRILLUS: « Quod autem solummodo de Salvatore omnium nostrum Christo dicatur a Scriptura inspirata eum natum esse secundum carnem, mihi videtur ostendere eum, cum Deus esset, in forma nostra factum esse. Hoc scilicet dico: nemo scilicet praesumit dicere sive de sapientissimo Moyse, sive de quolibet ex sanctis, eum natum esse secundum carnem ex Iudaeis aut ex muliere; nullam enim aliam generationem patitur quis, siquidem carnium matres caro sunt. Quodsi Christus dicitur secundum carnem ex Iudaeis, id est, ex muliere, prudentem quemdam sensum habet hoc additamentum « secundum

* p. 108.

[1] *Act.*, II, 36. — [2] LUC., II, 11. — [3] *Act.*, II, 36; *P. Gr.*, XXIX, 704. Titulus huic operi datus reperitur graece: λόγος τῶν κατ' Εὐνομίου συλλογισμῶν, verbi gratia, in *Doctrina Patrum de Incarnatione Verbi*, 13, II et 16, II (edit. F. DIEKAMP, p. 80 et 105).

carnem », et indicatio, quam gestat, rem necessariam suggerit auditoribus. Ne enim naturae Verbi, id est, divinitatis, initium existentiae in carne et ex carne factum esse putemus, caute atque necessario τὸ « secundum carnem » assumitur. Nam cum Deus esset naturaliter, verusque Filius Dei et Patris, * in similitudinem hominum factus est, et carnem ex sancta Virgine *assumptam* suam fecit[1]. »

Id autem, quod sapiens Basilius dixit : « Nam illud « hodie » de eo, qui *est* ante saecula, intelligi non potest[2] », etiam manifestissime demonstrat eum tempora distinguentem, non autem Verbum inhumanatum dividentem, haec esse locutum. Ait enim : quae *ad* « hodie » *pertinent*, quae congruunt ipsi incarnato, noli ea referre ad conditionem eius expertem carnis atque inhumanatione anteriorem, o Eunomi, ut eius essentiam saeculis antiquiorem parvipendas. Omnibus enim notum est eum, qui in tempore et hodie incarnatus est, ipsum fuisse etiam ante saecula. Nam comparationes respectu temporum institutae unicam secundum subiectum personam videri solent in duas separare. Sic etiam si quis, de iuvene quodam, qui claruit et in multis praeliis victor exstitit et victorias victoriis coniunxit, sed postea ad summam senectutem devenit et debilis factus est, et baculo innititur aut portatur, dicat hunc hominem omnium ubique hominum debilissimum esse, sed senem, non iuvenem, et debilitatum, non clarum : hic enim non unicam personam, quae re existit, dissecavit, — nam idem est qui prius iuvenis fuit et nunc senex factus est, — sed tempora distinxit, etsi effatum censetur quasi de duobus hominibus prolatum. Itaque eodem modo etiam sanctus Basilius, distinctionem temporum faciens, illud « Christum fecit eum », et illud « hodie » dixit ad eum, qui ex Maria secundum carnem *est*, vergere, eundem sciens et non secundum carnem ex Patre, et « Iesum Christum heri et hodie eundem et in saecula[2] ».

* In secunda autem oratione, in Antirrheticis ad ipsum Eunomium, apertissime id ipsum dixit, scribendo sic : Basilius : « Neque sententia apostoli Unigeniti hypostasim saeculis antiquiorem nobis exhibet, de qua nunc sermo est. Non enim de substantia Dei Verbi, quod in principio erat apud Deum, sed de eo, qui semetipsum exinanivit in forma servi et factus est conformis

[1] Pusey, t. III, p. 526. — [2] *P. Gr.*, XXIX, 705.

corpori humilitatis nostrae et crucifixus est ex infirmitate, manifesto disserit. Et hoc notum est cuilibet, qui vel parum assecutus est sensum apostolicae sententiae, quia non theologiae modum nobis tradit, sed dispensationis rationes declarat. Nam « Dominum, ait, et Christum ipsum Deus fecit, hunc Iesum, quem vos crucifixistis[1] ». Demonstrativa voce in humanitatem eius et in eius omnibus visibilem *partem* manifeste intendit. Hic vero, vocem « fecit » ad eam, quae a principio *fuit*, Unigeniti generationem transferens ne per hoc quidem convincitur, quod vox « Dominus » non substantiae sed potestatis nomen est. Hinc is qui dixit « Dominum et Christum fecit illum Deus », supremum principatum et dominationem dicit, quem Pater ipsi concessit, non autem eius adventum ad existentiam narrat[3]. »

Rursus exinde, manifestissime ostendit quod ipsum sibimetipsi Unigenitum Verbum secundum temporum distinctionem comparat, et idem novit novissimis diebus exinanitum, in quantum incarnatum est et accepit formam servi et crucem infirmitatis sustinuit, eamque toleravit in carne, cuius propria est passio, — haec est enim * infirmitas, — et per resurrectionem atque destruendo principem potestatis aeris, armaturam virtutis perfecit ; idemque novit extra exinanitionem, tempore praecedente inhumanationem. Nam exinanitus est Plenus, et qui in forma Dei est, et Deus est, et apud Deum est et in principio est, accipiendo formam servi ultimis mundi temporibus, cum Deus et Pater illum fecit Christum et Dominum. Tunc enim etiam vocatus est Iesus, cum homo factus est. Illud autem « Christum effici » et « ungi », Verbo adaptandum est, cum *iam* exinanitum est, non vero tempore praecedente exinanitionem atque incarnationem, in quo carnis expers erat ; nam ad humanitatem et visibilem *partem*, quam sibi hypostatice univit, unctio *pertinet*. Sic enim et ad Diodorum scribens sanctus Cyrillus dixit : Cyrillus : « Christum autem aut Iesum a nullo vocatum esse Verbum, quod ex Deo Patre *procedit*, priusquam homo fieret, notum est ; nam « Christus » unctionem indicat, « Iesus » autem manifeste *nomen* voce angeli et ante conceptionem in sancta Virgine impositum est ei, qui ex ea secundum carnem natus est[4]. »

[1] *Hebr.*, XIII, 8. — [2] *Act.*, II, 36. — [3] *P. Gr.*, XXIX, 576. — [4] Pusey, t. III, p. 503.

Hunc ergo Iesum, qui est Verbum ex Deo incarnatum, dixit rerum divinarum peritissimus Basilius factum esse Christum et Dominum eo quod factus est homo atque unctus est quoad humanitatem, et dominatus est atque regnavit per nostrum indocibilium agnitionem; hic enim semetipsum exinanivisse intelligitur. Iamvero, ait, nemo haec illi adscribet ante exinanitionem, cum tantum Verbum est a principio et Deus est, et apud Deum esse concipitur, * et nondum sustinuit homo fieri pro nobis, ne forte si quid novi assumptum fuerit aut additum ex dispensatione, cum blasphemia referatur ad essentiam saeculis anteriorem. Hoc enim fraudulenter et impie facientem iniquum Eunomium carpebat, dicendo sic: Basilius: « Hic vero vocem « fecit » ad eam, quae a principio *fuit*, Unigeniti generationem transfert[1]. » Quapropter temporali distinctione distinguit eum, qui in corpore hodie *est* et absque corpore antea *erat*, et eum, qui semetipsum exinanivit et extra hanc *exinanitionem* concipitur atque solummodo quatenus id est, quod a principio erat, concipitur, antequam se demitteret ad voluntariam exinanitionem. Unus idemque est. Attamen, si consilium ei esset Emmanuelem dividendi, non diceret hoc *effatum* « Dominum et Christum fecit eum Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis » dictum fuisse ab apostolo Petro « de eo, qui semetipsum exinanivit in forma servi, et factus est conformis corpori humilitatis nostrae[2] », sed istorum miserabilium anthropolatrarum instar: Haeretici: « De Filio per gratiam; de eo, qui ex semine David; de homine, qui ex Maria; de Christo secundum carnem; de natura humana; de forma servi ».

Et hoc notificans Doctor, *scilicet* se non dividere Christum sed tempora distinguere, in oratione syllogismorum adversus Eunomium, etiam haec scripsit: Basilius: « Si Deus Filius erat qui dicebat « Dominus creavit me », potius dixisset « Pater creavit me ». Nusquam enim ipsum Dominum suum vocabat, * sed semper Patrem. Assumatur proinde illud « genuit » de Filio Dei, illud autem « creavit » de eo, qui formam servi accepit. At in his omnibus, non duos dicimus, Deum seorsum et hominem seorsum, — unus enim est, — sed consideratione naturam uniuscuiusque consideramus. Neque enim Petrus

[1] *P. Gr.*, XXIX, 577. — [2] *Ibid.*

duos intellexit dicens « Christus igitur passus est pro nobis carne[1]. » Ecce et hic tempus incarnationem praecedens a *tempore* incarnationem sequente distinguit, et Dei Filium carnis expertem antequam incarnaretur et acciperet formam servi, ipsum novit inhumanatum esse et accepisse formam servi, esseque natura Deum cum ex natura nostra acceperit, quia unus est ex duobus. Quisnam enim est is, qui accepit formam servi, nisi is utique, qui in forma servi non erat, antequam eam acciperet? Est enim Dominus universorum et potens et liber; nam omnes qui post Deum *sunt*, non *sunt* liberi, sed subiecti et servi et sub *eius* manu. Hunc itaque sibi ipsi temporaliter cogitatione comparat, incarnatum et carnis expertem, ne humilia et dispensatoria incarnationis ad incorporalem conditionem incarnatione anteriorem referantur, quasi in substantiae divinae imminutionem; quod Ariani magno cum zelo fecerunt, putantes se, confusione temporum, ea ex quibus Emmanuel conflatur, corrupturos esse. Non considerabant quidnam secundum substantiam prius esset, quidnam vero propter nos immutabiliter in fine factus sit. Itaque ea, quae ad incarnationem pertinent, indivisibilia manent, eaque omnia in se assumit Verbum * incarnatum, humilia et excelsa. Tempus autem inhumanationem praecedens distinxit, ne quis impie ea, quae congruunt incarnato propter demissionem dispensationis, Unigenito vel carnis experti nudaeque divinitati tribueret.

Quod multis in hac ipsa oratione adversus Eunomium clarissime ostendit sic: Basilius: « Si post inhumanationem propter obedientiam nomen, quod est omnibus nominibus praestantius, Pater dedit Filio Deo existenti, et omnis lingua confessa est eum Dominum esse, ante inhumanationem neque nomen, quod est super omnia nomina, habebat, neque confessionem ab omni lingua, quod sit Dominus. Maior ergo factus est post inhumanationem quam *erat* ante inhumanationem, quod absurdum est. Tale autem est et hoc « Data est mihi potestas in caelo et super terram[2] ». De inhumanatione ergo, non de divinitate, haec oportet intelligere[3]. » Rursusque: « Si propter Patrem vivit Filius, propter alium, non propter seipsum vivit. Sed qui

[1] I Petr., IV, 1; *P. Gr.*, XXIX, 704. — [2] Matth., XXVIII, 18. — [3] *P. Gr.*, XXIX, 693.

propter alium vivit, ipsa vita esse non potest; nec enim ipse sanctus est is, qui per gratiam sanctus est. Mentitus igitur est Filius, qui dixit « Ego sum vita[1] », et rursus « Sic et Filius quos vult vivificat[2] ». De inhumanatione ergo, non de divinitate dictum intelligere oportet[3].»

Itaque his omnibus ostendit sibi ipsi divinitatem inhumanatam et nondum inhumanatam comparari, tempore incarna-
* p. 115. tionem praecedente et *tempore* sequente * incarnationem, Arianis quidem humilia et dispensatoria transferentibus atque referentibus ad nudam divinitatem, intentione autem Scripturae divinae et veritatis ad tempus inhumanationis ea detrudente, id est, ad incarnatam et inhumanatam, minime vero ad nudam divinitatem Unigeniti. Id ergo sursum deorsum ait magnus Basilius: Basilius: « De inhumanatione, non de divinitate ea intelligere oportet[4].» Tunc enim Filius Dei, cum mensuram homini convenientem accepit, merito et vivere se propter Patrem ait, et potestatem sibi datam esse, et nomen praestantius omnibus nominibus se recepisse. Et licet secundum substantiam et naturaliter in iis sit ut Deus, se eadem accepisse ut hominem dicit, et gratiam mittit ad nos, quorum causa ad hoc descendit, et quorum primitiae factus est. Non enim indigebat, vel homo factus, is qui omnia dona habet; ideo non sibi accepisse quidquam, sed nobis, intelligitur et dicitur. Proinde sanctus Basilius discernit, non eum, qui inhumanatus et incarnatus est, — nam unum eum novit sine sectione et divisione, cuius sunt omnia, quae ad inhumanationem pertinent, sive actiones, sive sermones, — sed tempus inhumanationis a tempore ante inhumanationem distinguit, adventum et conditionem in carne Verbi ab eius divinitate carnis experte et nuda et seorsum concepta, priusquam sustineret implicationem corpori. Ideo humilia dicit non de divinitate intelligenda esse sed de
* p. 116. inhumanatione vel * de dispensatione humanitatis, aut rursus de humanitate Verbi; nulla enim habetur differentia, quocumque nomine utatur quis, ubi tempora discernit, non autem inhumanatum *Verbum* post incomprehensibilem unionem dualitate naturarum secat. Hinc, qui dixit ea de inhumanatione, non de divinitate intelligenda esse, in alio capitulo, in eadem ora-

[1] Ioh., xi, 25. — [2] *Ibid.*, v, 21. — [3] *P. Gr.*, XXIX, 697. — [4] *P. Gr.*, XXIX, 693.

tione adversus impium Eunomium, iterum sic dicit: Basilius: « Si gloriam quam habebat antequam mundus fieret, vere a Patre petebat, tanquam qui eam amiserat, petebat; neque enim id, quod habebat, accipere postulabat. Quodsi res ita se habet, non tantum gloriam, sed et divinitatem amisit, nam remota non est gloria a divinitate. Igitur purus homo erat, ut dixit Photinus. Apparet proinde talia secundum dispensationem humanitatis, non secundum defectum deitatis locutus[1].» Et iterum: « Si in opera creavit Pater Filium, non propter ipsum sed propter opera, creavit eum. Quod autem propter aliud, non propter se factum est, aut pars est eius, propter quod factum est, aut eo minus. Erit ergo Salvator noster aut pars creaturae, aut ea minor. Quare necesse est de humanitate eius intelligere[2].»

Quod autem tempora distinguat, non vero inhumanatum secet, neque separet Verbum Dei ab eius carne rationabiliter animata duplicitate naturarum post unionem, non solummodo his stabilitur, sed etiam omnibus quae diverse scripsit. Ideo igitur, ad Amphilochium scribens epistulam, cuius initium
* p. 117. est « Investigatum iam * a multis dictum evangelii, de eo quod nesciat Dominus noster Iesus Christus diem consummationis et horam[3] », scripsit sic: Basilius: « Quomodo autem Pater ei, per quem et saecula fecit, minimam hanc saeculorum partem, diem illum et horam, non ostendit? Aut quomodo conditor universorum, minimae partis eorum, quae a se condita sunt, cognitione destituitur? Qui autem dicit, appropinquante fine haec et illa signa in caelo et in regionibus per terram visum iri, quomodo ipsum finem ignorat? In his enim, quae dixit « Sed nondum finis[4] », non quasi nesciens, sed ut sciens pronuntiat. Deinde, si quis aequo animo consideret, multa et ex humana parte[5] Dominus loquitur; nam illud « Da mihi bibere[6] », vox est corpoream indigentiam explens. Attamen, is qui petebat, non caro erat inanimata, sed divinitas carne animata utens. Sic ergo ignorantiam ad eum, qui proficiebat sapientia et gratia apud Deum et apud homines, si quis referat, extra piam non feretur sententiam[7].»

[1] *P. Gr.*, XXIX, 701. — [2] *Ibid.*, 704. — [3] *P. Gr.*, XXXII, 876. — [4] Matth., xxiv, 6. — [5] Interpres videtur novisse etiam μέτρου pro μέρους in textu graeco. — [6] Ioh., iv, 7. — [7] *P. Gr.*, XXXII, 877.

Quis non mirabitur diligentiam Doctoris per omnia ostendentis quod inhumanatum quidem insecabilem novit, discernit autem tempus ante inhumanationem et tempus post inhumanationem, ipsumque sibi ipsi comparat, prius quidem carnis expertem, sed postea carne indutum? Quid enim dicit? « Multa et ex humana parte Dominus loquitur[1].» Et ostendit eum Dominum esse, qui etiam ex divina parte divina loquitur, * p. 118. * non autem alteram naturam divina, alteram humana *loqui*. Et cum radicitus evulsisset inanem sententiam, quae unum Dominum duas naturas vocare machinabatur, manifesto addidit quisnam *sit* Dominus, qui ex humana parte multa loquitur. Dixit enim: « Divinitas carne animata utens, quae etiam proficere dicitur sapientia et gratia apud Deum et homines, ad eam congrue refertur ignorantia diei et horae consummationis[2].» Non ergo, o Ariani, dicit « Ad divinitatem nondum carne animata utentem ignorantiam referas », sed eam detrudit ad tempus posterius, quando et incarnata et inhumanata est. Qui enim dixit ad Samaritanam « Da mihi bibere », ipse etiam dicit se ignorare diem et horam consummationis. Basilius: « Nam illud « Da mihi bibere », vox est corpoream indigentiam explens. Attamen, is qui petebat, non caro erat inanimata, sed divinitas carne animata utens[3].»

Quodsi is qui petebat, dicendo « Da mihi bibere », et vocem proferebat humanam atque corpoream indigentiam explentem, erat divinitas incarnata carne animam rationabilem habente, ubinam ergo locus habetur divisionis vocum, ita ut natura divina ea, quae congruunt divinitati, humana autem ea, quae congruunt humanitati, loquatur, iuxta Theodoretum, qui dicit convenienter naturis dividenda esse ea, quae dicuntur[4]? Et * p. 119. si divinitas erat, animato corpore utens, quae dicebat * se ignorare diem et horam, congrue quidem ad mensuras et dispensationem humanitatis loquebatur, — nam hominum proprium est ignorare futurum; — attamen non tanquam secundum ordinem, sed utilitatis causa ignorans, et ipsa seipsam ignorantiae submittens, atque investigationem discipulorum refrenans et cohibens, hoc dicere praesumpsit, tribuendo exi-

[1] *P. Gr.*, XXXII, 877. — [2] *Ibid.*, — [3] *Ibid.* — [4] Cfr *P. Gr.*, VI, 1225.

nanitioni demissaeque formae id, quod illis convenit. Etenim « exinanitio Verbo Deo, quod pati mutationem nescit, est facere et dicere quiddam humanum propter dispensativum concursum ad carnem[1]», ut dicit sanctus Cyrillus ad iniquum Theodoretum, qui contra quartum capitulum apologiam struebat.

Procedat autem in medium etiam sapientissimi Basilii effatum, qui dixit quidem de divinitate, quae carne animata utitur, quaeque etiam profecisse sapientia et gratia in Scriptura asseritur, accipiendam esse ignorantiam, minime vero de *divinitate* concepta absque carne ante tempus inhumanationis; docet vero *Christum* dixisse se nescire diem et horam, dum discipulos ab ingenti superfluitate curiosae inquisitionis averteret, itemque nos omnes, qui inutiliter cupimus discere horam et diem ultimum. Scribit enim in oratione adversus Eunomium, quam paulo supra commemoravimus, haec: Basilius: « Ergo, quod non expediret hominibus audire, ideo tempus iudicii obticuit. Nam continua exspectatio ferventiores nos reddit ad pietatem; id vero, nosse multum tempus interfuturum, negligentiores circa pietatem nos effecisset, sperantes nos * in fine paenitentiam agendo salvos fieri posse. * p. 120. Secus enim, quomodo is, qui omnia usque ad hanc horam novit, eaque dixit, non etiam illam horam nosset? Frustra autem et Apostolus diceret: « In quo sunt omnes thesauri scientiae absconditi[2].» Et in epistula ad Amphilochium, volens quidem ut ad Verbum quod incarnatum est et mensuram ignorantis humanitatis assumpsit, ignorantia referatur, sed dicens minime ipsum latuisse hanc horam, imo optime ei, sicut et Patri, notam fuisse qua Deus est, *id* sic ostendit: Basilius: « Quodsi Pater Filium totum totaliter cognoscit, ita ut et repositam in ipso sapientiam omnem perspiciat, pari mensura et a Christo cognoscetur, utique cum omni sapientia quae in ipso est et praenotione futurorum[3].» Rursusque: « Mens igitur Marci est eiusmodi: De die autem et hora nemo scit, neque angeli Dei, sed neque Filius *nosset*, nisi nosset Pater, siquidem a Patre datam habebat cognitionem. Hoc autem bene sonans est et Deo congruum, quod *nempe* de

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 417. — [2] *Coloss.*, II, 3; *P. Gr.*, XXIX, 696. — [3] *P. Gr.*, XXXII, 880.

Filio dicatur eum ab illo, cui consubstantialis est, habere etiam ut cognoscat atque in omni sapientia et gloria divinitati congrua conspiciatur[1].»

Is igitur, de quo scriptum est eum profecisse sapientia et gratia, — erat autem divinitas carne animata utens, — dicebat: « De die autem vel hora nemo scit, neque angeli Dei, neque Filius[2]» *nosset,* nisi nosset Pater; nam a Patre habebat scientiam, siquidem ab eo, cui consubstantialis est, * etiam quod cognoscat habet, itemque quod in omni sapientia et gloria divinitati suae congrua conspiciatur. Qui, propter utilitatem hominum, quamvis illa cognosceret, horam obticuit, ignorantiam quae humanae mensurae congruit suam faciens; quae quidem *ignorantia,* priusquam incarnaretur, ei non conveniebat, sed ubi incarnatus est, non est *ab eo* aliena. Sic etiam profecisse dicitur statura corporis, revelationem divinitatis apte operatus, et ideo proficere sapientia et gratia reputatus, ut et per hoc exinanitus appareret atque humilitatem voluntariae paupertatis non aspernatus. Quomodo enim proficeret is, qui Patrem ita novit ut et ipsum *novit* Pater?

At ista non placent iis, qui Verbum inhumanatum post unionem dissecant dualitate formarum et naturarum. Non enim tempora distinguunt, neque dicunt ad inhumanationem pertinere humilia vel ad divinitatem carne animata utentem, sicut docuit magnus Basilius, ita ut Verbo nondum incarnato et antequam deveniret ad voluntariam exinanitionem immunitas ab humiliatione servetur, incarnato autem humiliatio et misericordia erga nos *tribuantur,* dum simul neque imminuta, neque mutata est *eius* celsitudo. Sed ipsam inhumanationem, ut ita dicam, dentibus dilacerant et audacter in duo dividunt. Ecce enim impius Theodoretus, adversarius sancti Basilii, in reprehensione quarti capituli, seu anathematismi, scripsit sic: THEODORETUS: « Non igitur Dei Verbi est ignorantia, sed formae servi, quae tanta per illud tempus sciebat, quanta divinitas inhabitans revelabat * illi[3].» Eximius autem Cyrillus, similia dicens his *verbis* Doctoris, id est sapientis Basilii, in apologia capituli his redarguit impium: CYRILLUS: « Igitur si non men-

[1] *P. Gr.,* XXXII, 880. — [2] MARC., XIII, 32. — [3] *P. Gr.,* LXXVI, 412.

tiris dicens unum Christum et Dominum Iesum, id est, Deum simul et hominem, cur dividis et duos filios dicens non erubescis? An non plane duo erunt, si quidem non est idem cum eo, qui dimensam habet scientiam, is qui omnia novit, et cum eo, qui partitam recipit revelationem, is qui perfectus est in sapientia et tanta cognoscit quanta et Pater? Et si unus idemque est propter negotium verae unionis, non autem alius atque alius divisim et separatim, eius omnino est et scire et rursus videri nescire. Itaque, novit quidem divinitus, ut sapientia Patris; quoniam vero mensuram humanitatis ignorantis subivit, dispensative proprium facit et hoc cum aliis, quanquam, sicut modo dixi, nihil ignorans sed sciens omnia cum Patre[1].»

Rursusque, in oratione cui titulus « Ad eos qui dicunt quod ignorat Filius ultimum diem[2]»: CYRILLUS: « Quia vero ea, quae supra ipsos *erant,* discipuli discere cupiebant, utiliter causam attulit quod nesciret qua factus homo, dixitque neque eos scire, qui in caelis sunt, sanctos angelos, ne maerore afficerentur, utpote quibus non revelatum esset mysterium[3].» Similiter quoque in libro secundo Thesauri: « Non quod ignoret Verbum quatenus Verbum est et sapientia * Patris, dicit « Nescio », sed in se ostendens humanum *elementum,* cui praecipue convenit ignorare; proprium enim humanitatis hoc est. Nam quia corpus nostrum induit, ideo etiam ignorantiae nostrae speciem recepit[4].» RURSUSQUE: « Cum appareat Deus in paradiso dicens ad Adamum « Ubi es[5]» et ad Cain « Ubinam *est* Abel, frater tuus[6]», quid hac de re dicitis? Nam si ignorantem *Deum* interrogare dicatis, manifeste blasphemantes deprehendimini. Si autem per hoc modum quemdam dispensationis induci concedatis, nolite mirari etiamsi Verbum Dei, per quod tunc Deus Adamum et Cain interrogabat, utile quid providens dixerit se nescire diem, ut homo, tametsi omnia norit ut sapientia Patris[7].» ET ITERUM: « Dispensative ergo agit Christus, se illam horam nescire dicens, vere tamen eam non ignorat[8].» In alia autem *solutione,* eadem ac sapientissimus Basilius sentiens, discernendum ait

[1] *P. Gr.,* LXXVI, 416. — [2] *Ibid.,* 1100. — [3] *Ibid.,* 1104. — [4] *P. Gr.,* LXXV, 373. — [5] *Gen.,* III, 9. — [6] *Ibid.,* IV, 9. — [7] *P. Gr.,* LXXV, 377. — [8] *Ibid.,* 377.

tempus ante inhumanationem a *tempore* post inhumanationem, et Verbo Unigenito adhuc incorporali tribuenda non esse ea, quae incarnato conveniunt, itemque ad essentiam saeculis anteriorem referenda non esse, ad imminutionem divinae eius substantiae, ea quae facere et pati et dicere sustinuit, in fine dierum immutabiliter homo factum et redemptionem nostram procurans; haec enim inhumanationis propria sunt, non divinitatis Unigeniti nudae et seorsum consideratae antequam * inhumanaretur. Distinguitur siquidem secundum tempora conditio eius incorporalis et corporalis, sed ipsa incarnatio seu inhumanatio insecabilis est et indivisibilis, cum unus sit Filius inhumanatus, atque post tam divinam et ineffabilem unionem non dividatur duplicitate naturarum, ne simul scindatur indissolubilis unio et divisim obtineat necessario utraque *natura* quae sua sunt, opera et verba.

* p. 124.

Nam in primo libro Thesauri, ad turbam Deo infensam Arianorum verbum faciens, scripsit sic: CYRILLUS: « Haud recte hostes Christi, cum ea, quae ad divinitatem Filii pertinent, indagant et habitudinem, quam naturaliter habet ad Patrem, inquirunt, vocibus humanitus dictis utuntur, quas Dominus protulit quando carnem nostram induit. Neque enim ex iis, quae dispensative ut homo loquitur, incorporea eius substantia designatur. Sed scire atque credere oportet quod Deus existens et Verbum atque similis per omnia Patri, naturam hominis induit et factus est homo, ut interdum etiam ut homo loquatur propter dispensationem cum carne. Loquitur vero etiam ut Deus quae hominem excedunt, quippe qui hoc naturaliter est, et quando tempus eorum opportunitatem adducit. At si quis velit ea quae, ut dixi, humanitus et dispensative dicta sunt, ad ordinem divinitatis eius referre, rursusque ea, quae divinitus dicta sunt, ad tempus quo homo factus est referre, corrumpet * rerum naturam et dispensationem destruet. Nam interdum ut Deus dicit « Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum[1] », et iterum: « Descendi de caelo[2] ». Si vero quispiam velit eam tantum dignitatem, quae Deum decet, illi servare, destruet plane quod novissimis temporibus

* p. 125.

[1] IOH., VIII, 58. — [2] *Ibid.*, VI, 38.

homo factus fuerit. Neque enim erat in humanitate priusquam Abraham fieret, neque ut homo descendit e caelo. Rursus, si quis velit sermones et actiones humanitatis Deo Verbo nudo ante inhumanationem tribuere, valde impie faciet. Quid enim faciet, dicente Christo « Nunc anima mea turbata est[1] », et « Tristis est anima mea usque ad mortem[2] »? Numquid maerorem et anxietatem concedet naturae Dei accidisse, et mortis timorem ea dominatum esse? Quid vero cum crucifixum viderit? Anne etiam hoc divinitatem Filii passam concedet perinde ac hominem? Aut blasphemiam recusabit? Servetur itaque utrique et tempori et rei id, quod convenit et inquiratur ratio theologiae minime ex iis, quae ut homo apparet loquens, sed ex iis, quae est ex Patre ut Filius et Deus. Concedatur autem dispensationi cum carne quod interdum loquatur etiam ea, quae non congruunt divinitati nudae et seorsum constitutae. Cum igitur ut homo dicit se non esse bonum ita ut Pater, referatur potius etiam illud ad dispensationem cum carne[3]. »

Ecce quomodo, distinctione temporum eundem *sibi ipsi* comparat prius carnis expertem et postea carne indutum, * nunquam autem ipsum dividit a propria carne rationabiliter animata post inhumanationem, sicque optime Arii canes expellit qui volunt ea, quae ut hominem decet tempore inhumanationis dicta sunt a Salvatore nostro, etiam ad tempora incarnatione priora referre, cum tandem ipsi non conveniret humanitus revera loqui aut humanum quid pati. Vide nempe quomodo dicat: CYRILLUS: « Si quis velit sermones et actiones humanitatis Verbo Deo nudo ante inhumanationem tribuere, valde impie faciet[4]. » His significat ea, quae non conveniebant ipsi adhuc nudo et carnis experti, ipsi carne induto convenire, nihilque sic in eius natura laedi. Cum enim tristatus est et salutarem crucis passionem tulit, haec homo factus suscepit. Hoc enim significat sapiens doctor, dicens: CYRILLUS: « Concedatur autem dispensationi cum carne quod interdum loquatur etiam ea, quae non congruunt divinitati nudae et seorsum constitutae[5]. »

* p. 126.

[1] IOH., XII, 27. — [2] MATTH., XXVI, 38. — [3] *P. Gr.*, LXXV, 120. — [4] *Ibid.* — [5] *Ibid.*, 121.

Rursus, per hoc quod dixit « ea, quae divinitati nudae et seorsum constitutae non congruunt », manifeste ostendit congruere illi ut ea ipsa loquatur *ubi est* incarnata. Quisnam autem est is, qui dispensationem cum carne gessit et ideo illa loqui permittitur, quae nudae divinitati non congruunt? At, evidens est ipsum rursus *esse* Unigenitum Verbum, qui propter nostram salutem dispensative et absque mutatione homo factus est, eundem proinde qui secundum tempora discernitur, *scilicet tempus* antequam incarnaretur et *tempus* post incarnationem *ineffabilem. Etenim incarnatum Verbum non abscinditur ab humanitate quam sibi hypostatice univit. Lamentabiles autem Ariani, ab aequalitate dignitatis ad Patrem volentes detrudere Filium, ad eius divinitatem nudam referunt ea, quae incarnatus voluntarie in carne tulit aut locutus est ut homo. Et illi, qui impietate simili eorum *impietati* laborant illumque dividunt duplicitate naturarum post unionem, humanis spoliant Verbum inhumanatum, illud, ut ita dicam, simul etiam carne spoliantes; homini seorsum considerato tribuunt actiones et sermones, quibus salvi facti sumus, et dicunt ea dedecere Unigenitum ut prius erat, cum nondum incarnatus esset. At sanctus Cyrillus utramque Dei negatricem haeresim evertit, dicendo: « Servetur itaque utrique tempori et rei id, quod convenit[1] », hoc est, theologiae quidem id, quod excelsum simul et saeculis anterius *est*, dispensationi vero id, quod in fine temporum evenit, et humile *est* atque homini congruum, attamen, indivise, quia unus est qui ut Deus consideratur[2] et dispensationem adimplet, nam « venit, ait, Filius hominis, non ministrari sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis[3]. »

Illud enim confirmans sanctus Cyrillus, scilicet discernenda esse tempora conditionis incorporeae atque incarnationis, in primo libro Thesauri etiam haec ait: CYRILLUS: « Cum igitur incorporea natura non recipiat in se per se magis et minus, quando Christus dicit Patrem suum se maiorem esse, erit rursus sermo *congruus humanitati, non autem criminatio

[1] *P. Gr.*, LXXV, 121. — [2] ὁ θεολογούμενος. — [3] MATTH., XX, 28.

divinae substantiae illius, quasi constitutae in minoribus quam ea, in quibus invenitur qui illum genuit[1]. » Itaque incorporea Verbi natura in se per se magis et minus non recipit; quomodo enim is, qui in omnibus τὸ ἀδιάφορον habet ad Patrem [in se per se magis et minus reciperet[2]]? Sed per humanitatem recipit quidquid per se non recipit. Quapropter dixit doctor: CYRILLUS: « Quando dicit Christus, Patrem se maiorem[3] »; Christus autem est Verbum Dei inhumanatum cui, priusquam fieret Christus, id est Filius hominis immutabiliter, cum propter nos Spiritu suo unctus est, non conveniebat dicere « Pater meus maior me est ». Proinde humanitati congruit effatum et ab humanitate causam habet; sed dictum est a Christo, Verbo Dei inhumanato, non autem ab humanitate vel a natura humana, vel a forma servi, tanquam a persona propria, sicut *asserit* Tomus Leonis, qui ait: « Non eiusdem naturae est dicere « Ego et Pater meus, unum sumus », atque dicere « Pater meus maior me est[4] ». Aliud enim est scire quidnam Unigenito Verbo nudo nondumque incarnato et quidnam inhumanato loqui conveniat, et aliud illud dividere, cum hypostatice unitum est carni rationaliter animatae, duplicitate naturarum, atque singulis naturis sermones aptare dicendo esse unius quidem naturae tale quid, alterius autem aliud quid loqui.

Dum enim hoc reiceret sanctus Cyrillus et ostenderet *aliud esse distinguere tempus ante inhumanationem et *tempus* post inhumanationem, ipsumque secum comparare prius quidem incorporeum sed postea incarnatum, aliud autem ipsum dividere cum inhumanatus est et igorare unum eundemque humanitus omnia humana et irreprehensibilia propter voluntariam exinanitionem loqui et sufferre, in libro secundo Thesauri haec scripsit: CYRILLUS: « Necessarium est ut qui recte intelligere velint quae in Scripturis divinis de Salvatore nostro Christo dicuntur, momenta et tempora scrutentur in quibus aut ipse de se aliquid dixisse videtur, aut Scripturae divinae de ipso. Si ergo priusquam caro fieret Verbum Dei videatur

[1] *P. Gr.*, LXXV, 141. — [2] Haec verba videntur excidisse e textu. — [3] *P. Gr.*, LXXV, 141. — [4] *P. Lat.*, LIV, 769.

vel unquam flevisse, vel mortem timuisse, vel aliud quidpiam humanum passum esse, valeant etiam nunc ea, quae dicta sunt, de ipso. At si quando homo factus est, tunc etiam sermones huiusmodi de eo dixerunt Scripturae divinae, cur non potius humano more ea dicta esse dicemus, ut blasphemiae malum effugiamus[1]?» RURSUSQUE: «Naturalis quaedam lex vetat ne homo maiorem, quam aetas corporis ferat, prudentiam habeat; sed in nobis sapientia concurrit et quodammodo progreditur una cum incremento corporis. Erat itaque Verbum in carne factum homo, sicut scriptum est, atque erat perfectum, cum sit sapientia et virtus Patris. At quia eum naturae nostrae consuetudini indulgere oportebat, ne peregrinum quid a videntibus censeretur, ut homo paulatim *ad staturam corporis accedens, revelabat seipsum et in dies sapientius apparebat videntibus et audientibus, perfectum quidem in omnibus existens, ut antea dictum est, sed communem naturae morem sequens. Cum igitur audies eum sapientia et gratia profecisse, ne accessionem quamdam sapientiae in ipso factam fuisse existimes, — non enim indigens est Verbum Dei, — sed cum cernentibus sapientius semper et gratia maius esset, profecisse dicitur, ita ut exinde iam eorum, qui admirabantur, potius quam ipsius habitum profecisse censeamus[2].» ET POST ALIA: «Observa autem *evangelistam* non dixisse Verbum, sed Iesum, profecisse, ne intelligeres Verbum nudum, sed quando factum est caro[3].»

* p. 130.

Vides quomodo Verbum sibi ipsi comparet, prius carne nudum et postea carne indutum et vocatum Iesum iuxta verbum archangeli Gabrielis ad Virginem deiparam. Hoc etiam est quod Spiritu sapiens Basilius dixit, ad Amphilochium scribens: BASILIUS: «Sic ergo ignorantiam ad eum, qui proficiebat sapientia et gratia apud Deum et apud homines, si quis referat, extra piam non feretur sententiam[4]», cum prius dixisset eum, qui proficiebat, eum qui a Samaritana potum petebat, non inanimatam carnem esse, sed divinitatem carne animata utentem.

[1] *P. Gr.*, LXXV, 392. — [2] *Ibid.*, 428. — [3] *Ibid.*, 429. — [4] *P. Gr.*, XXXII, 877.

Itaque ipsum sibi Verbum Dei secundum temporalem distinctionem *comparatur, tempore quidem priore et ante saecula incorporeum, sed post dispensationem circa nos factum et existens corporeum, ne Deo infensa Arianorum dementia ad nudam Verbi, antequam incarnetur, naturam ignorantiam, profectum, ceteraque humilia atque omnia, quae ad dispensationem pertinent, extollat. Quod et nunc decernit lingua sensusque eximii Cyrilli, qui prioribus doctoribus et patribus accuratissime consentit. Etenim in ea ad Reginas oratione, cuius initium est «Iis qui divinam et caelestem praedicationem administrant[1]», scripsit haec: CYRILLUS: «Etenim modus et ratio dispensationis cum carne eum novit esse secundum nos et supra nos, excedentem quidem mensuram creaturae ut Deum, semetipso autem quodammodo minorem quatenus homo apparuit. Ubinam enim humiliatio, quam libenter subiit, si recusaret humana? Attamen non in istis natura Verbi agnoscitur, sua autem potius ea fecit cum propria carne, sicut et esurire et sitire et fatigatum ex itinere dici. Cum igitur audis «Puer crescebat et confortabatur, plenus sapientia[2]», assume in apologiam mysterium dispensationis cum carne. Quod enim erat Deus incarnatus confirmat beatus evangelista, dicens: «Gratia Dei erat super illum[3]»; non enim quasi ab alio Deo gratiam habens dicitur habere gratiam Dei, sed quia gratiam habebat puer, quae Deum decet; erat siquidem et est Deus *Verbum etiam cum apparuit incarnatus, id est, homo sicut nos. Quodsi dicatur habuisse gratiam, vel profecisse gratia apud Deum et apud homines, nihil absurdi *in hoc reperitur*; nam ipse Pater dispensationem et ipsum Filium ea, quae carnis sunt, propter convenientiam simul et utilitatem mysterii sibi asciscentem, accepta habebat[4].»

* p. 131.

* p. 132.

Proinde iuxta vocem doctoris, ipse quodammodo semetipso minor existit, quatenus homo apparuit. Cum enim nuda et seorsum extra carnem natura Verbi cognoscitur, nihil ex iis, quae corporis sunt, sibi revera adiungit; ubi vero incarnatus est, id est suum effecit per unionem hypostaticam corpus anima

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 1336. — [2] LUC., II, 40. — [3] *Ibid.* — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 1353.

et mente praeditum, quod etiam ad humana toleranda natum est, tunc ipse quodammodo semetipso minor existit, ab impassibilitate quam secundum substantiam habet ne sic quidem mutatus, sed cum propria carne etiam passiones, quae carnis sunt atque irreprehensibiles, sibi assumens, et ad illas accedens, 5 et quasi inferiora semetipso sufferre dignatus, quatenus iis, quae non conveniunt incorporeo, ut corporeus se subiecit propter voluntariam exinanitionem, quin ullum ipsi detrimentum afferretur, commodum contra magnum lucratus, scilicet redemptionem nostram. Quid enim eum laederet, qui quidquam 10 pati nescit? Quapropter Doctor dixit: CYRILLUS: « Erat siquidem et est Deus Verbum etiam cum apparuit incarnatus, id est, homo sicut nos[1].»

Quod enim, cum secum ipso Unigenitum Verbum Dei secundum temporalem distinctionem comparatur, exinanitum et 15 nondum exinanitum, dum una sit et eadem * subiacens persona (* p. 133.) et hypostasis una, prius quidem simplex et incorporea, postea vero composita et incarnata, censeatur quasi circa duo distinctio fieri, rursus ex verbis sancti Cyrilli manifestissime demonstratur. Etenim in libro septimo expositionis evangelii Iohannis 20 haec scripsit, quae supra fuse allegavi[2], sed opportune etiam nunc commemoro ad rei praesentis illustrationem: CYRILLUS: « Attamen, quamvis omnium potestatem habeat, petere a Patre dicitur et accipere populos et terminos terrae, praeclarae hereditatis instar. Sed quomodo aut quandonam accipiat, necesse 25 est inquirere; utile enim revera et necessarium est horum tempora scrutari et momenta considerare, subtilemque personarum investigationem instituere. Itaque, postquam homo factus est, postquam semetipsum exinanivit, ut scriptum est, postquam descendit ad similitudinem eorum quibus convenit ut orent, tunc 30 ea, quae homini conveniunt, operatur et loquitur[3].» Ecce quomodo secundum distinctionem momentorum et comparationem temporum eundem *secum ipso* comparans, cum nondum semetipsum exinanivit atque postea voluntarie ad hoc se demisit et homo factus est, pluraliter personarum mentionem fecit, dicen- 35 do personarum subtilem investigationem instituendam esse.

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 1353. — [2] Cfr supra, p. 60. — [3] Locum non repperi.

Non enim alienum est Unigenitum Verbum Dei, quod semetipsum exinanivit et formam servi accepit, ab eo, quod nondum exinanitum est, sed unum idemque secundum temporalem distinctionem incorporeae et corporeae conditionis, quod secum 5 ipso, quasi aliud et aliud, comparatur, prius quidem incorporeum et carnis expers, postea vero incarnatum.

* Hac temporali distinctione utens etiam Gregorius Theologus, atque os blasphemum Arianorum occludens, minime (* p. 134.) vero insecabilem inhumanationem dividens, sed ipsum ex Deo 10 Patre saeculis antiquius Verbum antequam incarnaretur distinguens a tempore incarnationem sequente, in oratione prima de Filio scripsit sic: GREGORIUS: « In summa, excelsa tribuas divinitati naturaeque passionibus et corpore praestantiori, humilia vero composito et propter te exinanito et incarnato; 15 haud incommode etiam dicitur: inhumanato et postea exaltato; ut cum carnale atque terrenum istud, quod tuis sententiis inest, excusseris, discas sublimior fieri et cum divinitate exaltari, ne autem rebus visibilibus inhaerescas, sed simul cum intelligibilibus assurgas, sciasque quaenam sit naturae ratio, 20 quaenam autem lex dispensationis. Hic enim, qui nunc a te contemnitur, quondam et supra te erat; qui nunc homo *est*, compositionis expers erat; quod erat, permansit, quod autem non erat, assumpsit[1].»

Ipsum ergo Verbum sibi ipsi secundum tempora comparavit; 25 nam dixit: GREGORIUS: « Qui nunc homo *est*, compositionis expers erat[2]», rursusque dixit humilia tribuenda esse « composito et propter te incarnato et exinanito[3]», inhumanationi servans immunitatem a sectione et divisione. Non dixit humilia a se tribui formae servi, aut naturae humanae, aut ei, qui ex 30 semine David; haec enim insane proferre solent, qui dispensationem secant. Quaenam autem * et excelsa esse et tribuenda (* p. 135.) divinitati atque naturae passionibus et corpore praestantiori doceat Theologus, videamus. Sunt autem ea, quae ab initio in substantia habebat, non ea quae tempore inhumanationis ut 35 Deum decet facta sunt. Nam prius manifesto recensuit, ante effata allegata, ea quae absque initio et aeterno et secundum

[1] *P. Gr.*, XXXVI, 97. — [2] *Ibid.*, 100 — [3] *Ibid.*, 97.

substantiam Verbum habet, sicque addidit: excelsa autem tribuenda sunt divinitati Unigeniti; quae neque cum incarnatus est, perdidit. Dixit enim Doctor: Gregorius: « Quod erat, permansit, quod autem non erat, assumpsit[1].» Prius autem *excelsa* recensuerat sic: « Quod in principio, quod cum principio principium: In principio erat Verbum »; rursusque: « splendor, character, imago, sigillum[2]», et alia multa his similia atque vicina, de quibus etiam finiendo dixit: « quorum nihil ascititium est, neque Filio aut sancto Spiritui posterius accessit, quemadmodum nec Patri[3]». Ea dixit tribuenda esse divinitati Unigeniti, ut exinde Ariani intelligerent quisnam sit secundum substantiam, ne vero humilia exinanitionis eius, quae novissimis diebus peracta sunt, referrent ad substantiam eius saeculis priorem, simplicem, incorpoream et compositionis expertem, ea autem imputarent eademque rursus tribuerent exinanito, imo composito cum carne rationabilem animam habente, perfecteque inhumanato. Etenim Theologus etiam dixit: « humilia vero composito et propter te exinanito et incarnato[4].»

* Haec quoque, quae in oratione secunda de Filio reperiuntur, ad eam respiciunt comparationem, quae ex temporum distinctione *instituitur*, quae discernit conditionem *Verbi* antequam incarnetur et postquam incarnatum est, minime vero ad divisionem divinae inhumanationis; quae scripsit sic: Gregorius: « Remaneret nobis dicendum de eo, quod mandatum accepit, et mandata servavit, et quod ea, quae placita sunt *Patri*, semper fecit; rursus autem, de consummatione et exaltatione, et de eo quod ex iis, quae passus est, didicit obedientiam; item de summo sacerdotio et oblatione et traditione, de oratione ad eum, qui potest eum a morte salvum facere; de pavore, sanguinis sudore atque oratione, et si quid aliud huiusmodi est; nisi cuivis exploratum esset ad passibile *elementum* huiusmodi nomina esse *referenda*, non autem ad immutabilem et passione sublimiorem naturam[5].» Et hic rursus τὸ πάσχον, iuxta effatum Theologi, intelligamus compositum et pro nobis exinanitum, incarnatum atque inhumanatum, carne passum,

[1] *P. Gr.*, XXXVI, 100. — [2] *Ibid.*, 96. — [3] *Ibid.*, 97. — [4] *Ibid.*, 97. — [5] *Ibid.*, 124.

ut scriptum est, et in eo, quod passionis capax est, passionem sibi adscribentem, propter quam suscepit etiam eam ad carnem coniunctionem, qua destrueret eum, qui mortis imperium tenebat, id est, Satanam, qui victus est impassibilitate divinitatis atque virtute Deo digna resurrectionis. Nam sub initio huius secundae orationis de Filio etiam haec scripsit: Gregorius: « Sublimiores quidem et Deo dignas voces divinitati attribuimus, humiles autem et humanas novo propter nos Adamo ac Deo adversus peccatum patibili[1].»

Vides quomodo ubique servet inhumanationi, id est, Verbo inhumanato immunitatem a divisione; dixit enim * humilia et humana tribuenda esse, non naturae humanae, neque formae servi, — nam eadem saepissime animadverto, ad manifestam reprehensionem eorum, qui Emmanuelem dividunt, — sed novo propter nos Adamo et Deo adversus peccatum patibili. Et hoc quidem, optime atque divino afflatu: primo novum Adamum nominat, et tunc sine periculo Deum patibilem dicit. Prius enim per Adami appellationem eum protulit, qui passionis capax est, id est carnem anima rationabili praeditam, quam impassibile Dei Verbum hypostatice sibi univit; cum autem dixit « sublimiores quidem et Deo dignas voces tribuamus Deo, humiles autem et humanas rursus ipsi novo propter nos Adamo et Deo », manifeste Verbum secum ipso comparavit secundum tempus, prius quidem incorporeum, extra tempus et aeterno *subsistens*, atque per substantiam sublimia et Deo digna possidens cum actionibus et vocibus quae ipsi conveniunt, verbi gratia, « in principio est », et « apud Deum est », et « Deus est », et « Dominus Sabaoth » et « omnipotens », quae etiam expressis verbis recensuit *Gregorius*; postea vero incarnatum absque mutatione factumque Adamum novum, quin ea, quae Deo conveniunt, amiserit, cum etiam humanas, humiles atque dispensativas voces et actiones acceperit. Ea enim, quae ad dispensationem pertinent, insecabilia et indivisibilia permanent, quia inhumanatum Verbum indivise omnia in eo, quod pati poterat, et passum et locutum et operatum est. Nam si humilia et humana dixit Doctor * se tribuere « novo propter nos Adamo

[1] *P. Gr.*, XXXVI, 104.

et Deo adversus peccatum patibili », quae ut Deum decet facta sunt tempore inhumanationis, eius utique sunt qui per substantiam Deus et per dispensationem Adam *est*. Qui enim eum duplicitate naturarum post unionem secant, nulla alia de causa *eum* dividunt, quam ut humilia seorsum tribuant naturae humanae. At, si ea dixit Gregorius Theologus tribuenda esse « novo propter nos Adamo et Deo adversus peccatum patibili », inane iam apparet sectionis commentum.

CAPUT OCTAVUM

Quod indicatio duarum naturarum remotarum et separatarum est τὸ dividere unicuique *naturae*, uni quidem divinas, alteri autem humanas voces et actiones, quemadmodum ostendit Gregorius, cum epilepticam contentionem[1] Apollinarii et sectatorum Diodori carpit. Reprehensio eorum qui dicunt Gregorium, reprobando τὸ dicere duas naturas separatas, concessisse oppositum, ut nempe duas naturas et indivisas confiteamur. Demonstratio huius, quod cogitatione separantes Patres ea, quae unita sunt, unum ex duobus docent eum, qui ex unione absolutus est, id est, unam hypostasim et naturam Verbi incarnatam.

Aliud enim est secundum tempora discernere Unigenitum Dei Verbum, primo quidem incorporeum et postea incarnatum, dicereque ea, quae per essentiam et aeternaliter habet, sublimia ac Deo digna, tribuenda esse divinitati eius carnis experti *ante omnia saecula et tempora, humilia vero et humana vicissim *tribuenda esse* « novo propter nos Adamo ac Deo adversus peccatum patibili[2]», ne cum blasphemia referant ea Ariani ad substantiam Filii saeculis anteriorem; et aliud est impie ea, quae tempore inhumanationis facta et dicta sunt, Deo digna et humana simul ac ipsum Emmanuelem dividere, eaque distribuere singillatim naturis inter se communicantibus et adhaerentibus participatione et coniunctione falsae habitudinis. Impossibile enim est ea, quae in dualitate subsistunt, non eo modo cohaerere. Quod audacter et impudenter fecit Leo in Tomo suo, cum dixit: LEO: « Agit enim unaquaeque ex formis cum alterius communione quod sibi proprium est, Verbo

* p. 139.

[1] ἐπιλεπτικὴ ζυγομαχία. — [2] Cfr *P. Gr.*, XXXVI, 104.

quidem operante quod Verbi est, corpore autem exsequente quae corporis sunt; et unum quidem coruscat miraculis, alterum autem iniuriis succumbit[1].» ET RURSUS: « Esurire enim, et sitire, et lassescere atque dormire, certissime hominis sunt. Sed quinque panibus quinque millia hominum satiare; et largiri Samaritanae aquam vivam qua qui impletus fuerit, ne ultra iam sitiat habebit; et supra dorsum maris pedibus non madefactis ambulare; elationem autem fluctuum increpata tempestate consternere, sine ambiguitate Dei sunt. Et ut multa praeteream, sicut non eiusdem naturae est flere miserationis affectu amicum mortuum et eundem futurum redivivum, remoto aggere imposito *sepulchro quatriduanae sepulturae, ad vocis imperium excitare; aut in ligno pendere et elementis a die in noctem translatis omnia tremefacere; aut clavis transfixum esse et portas paradisi aperire fidei latronis: ita non eiusdem naturae est dicere « Ego et Pater meus unum sumus[2]», et dicere « Pater meus maior me est »[3].

* p. 140.

Cum secundum ea, quae manifesto dissecant inhumanationem, etiam ea, quae tempore dispensationis visa et effecta sunt, verba et opera Deo digna et humana, et salvificas passiones duabus formis et naturis *Leo* dividat, contraeundo Scripturae inspiratae eiusque interpretibus rerum divinarum peritis mystagogis, ad haec opposita scripsit velut e regione[4] rursus Theologus, in tertia epistula ad Cledonium, impugnans malam et impiam insaniam infandi Apollinarii; qui non solummodo destruit sensum divinae inhumanationis et ad mythum phantasiae decidit, negatque incarnationem, sed etiam sectionem duarum naturarum et dualitatem filiorum affingere vult orthodoxis; quo *errore* sectatores Diodori atque Theodori tunc laborabant, et inter se ipsi et Apollinarius decertabant sententiis remotis et abhorrentibus ab orthodoxia, idque cum censerentur adversus Arium et Eunomium accincti cum iis, qui sanam doctrinam confitebantur et inter fratres numerabantur. Horum etiam mentionem fecit Pater Theologus, labem ab utraque parte removendo, *in oratione tertia de pace[5], cuius initium

* p. 141.

[1] *P. Lat.*, LIV, 767. — [2] IOH., X, 30. — [3] *Ibid.*, XIV, 28; *P. Lat.*, LIV, 769. — [4] ὡς ἐκ διαμέτρου. — [5] εἰρηνικός.

est « Pax amica, re delectabilis et nomine[1]», sequenti modo, — nam oportet ut testimonium de hoc prius apponam sicque ad alterum, quod antea promisi, deveniam: Gregorius: « At insuper nos etiam adversus nos ipsos, ut ita dicam, opponimur, qui quantum ad id quod praecipuum est sani sumus, et pro iisdem atque adversus eosdem contendimus. Dico autem fraternum illud dissidium, quod nuper inter nos exortum est, ex quo et Deus ignominia afficitur et homo: ille videlicet nec pro nobis quidem omnino genitus, neque cruci affixus, manifesto autem neque sepultus, neque ressuscitatus, — quod nonnullis placuit Christum praepostere amantibus, — verum hic tantum honoratus ubi honor dedecus est, atque ob eam causam in duos filios dissectus aut compositus; hic autem non perfecte assumptus aut honoratus, sed quoad id quod maximum est abiectus et abalienatus, siquidem maximum quod habetur in natura hominis, est illud « secundum imaginem » et virtus mentis[2].»

Quae autem in tertia epistula ad Cledonium scripta *sunt et* opponuntur iis, qui amentem revera turmam Apollinarii complent atque propulsant crimen duplicitatis naturae inhumanationem dividentis, sunt haec: Gregorius: « Quis autem non admiraretur eruditionem eorum, qui perspicue ipsi ea, quae Christi sunt, dividentes, eas *voces* « genitus est, esurivit, sitivit, tentatus est, fatigatus est, dormivit » humanitati tribuunt, illas autem « ab angelis glorificatus est, et tentatorem vicit, et sic aluit, et supra mare ambulavit » divinitatis *esse* censent; et id quidem « Ubi posuistis Lazarum[3]?» nostrum esse dicunt, sed clamare « Lazare, veni foras[4]» et quatriduanum mortuum suscitare, supra nos *esse affirmant;* *et *voces* « territus est, et crucifixus est, et sepultus est » tegumenti esse, illas autem « confidit, et resurrexit, et ascendit » thesauri *esse dicunt*? Postea, nos criminantur tanquam duas naturas invehentes separatas et inter se pugnantes, et *tanquam* supranaturalem et admirabilem unionem dividentes. Oportebat autem eos aut non facere quod reprehendunt, aut non reprehendere quod faciunt, si modo sibi ipsis consentire scirent, sed non sua propria dicere

* p. 142.

[1] *P. Gr.*, XXXV, 1132. — [2] *Ibid.*, 1145. — [3] Ioh., xi, 34. — [4] *Ibid.*, 43.

atque ea quae *sunt* adversariorum. Tale quiddam est stoliditas et veritatis impugnatio, ut nec quod adversus seipsos contendant, aut intelligant aut erubescant[1].»

En indicium duarum naturarum separatarum et distantium proprium et manifestum dixit esse dividere duabus naturis ea, quae inhumanationis sunt, Deo digna et humana, atque uni quidem tribuere quod esuriat, alteri vero quod quinque millia *hominum* nutriat, rursusque, dicere unius quidem esse quod fatigetur ex itinere[2], alterius autem quod supra mare ambulet. Cum enim illa dividuntur, videntur inter se pugnare et opponi; oportebat autem eundem agnoscere Deum et hominem, id est, Deum incarnatum et divinitus facientem divina et patientem humana carne, sicut dicit sacra Scriptura. Sic enim, neque utpote Deus naturaliter existens amittit impassibilitatem, cum nec capiat nec possit pati; neque alienus est iis, quae humilia sunt et congruunt exinanitioni, quia « cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit et formam servi accepit »[3]. His enim agnoscitur exinanitus et voluntarie demissus ad id, quod parvum et contemptibile *est*, et ignominiis affectus et non reputatus * propter peccata nostra, ut ait prophetia[4]; attamen dicimus ipsius esse humilia et humana.

* p. 143.

Hoc enim et sapiens Athanasius, in oratione quarta adversus Arianos, clare docet sic: Athanasius: « Nam quemadmodum quia ex terra sumus, omnes in Adam morimur, ita sursum et ex aqua atque Spiritu regenerati, in Christo omnes vivificamur, carne non iam quasi terrestri existente sed cetero in Verbum translata[5] propter Verbum Dei, quod propter nos caro factum est. Ut autem etiam impassibilitatem naturae Verbi et infirmitates quae ipsius dicuntur propter carnem accuratius quis cognoscere valeat, expedit audire beatum Petrum; testis enim fide dignus est circa Salvatorem nostrum. Scribit ergo in epistula dicens: « Christo igitur pro nobis carne passo[6]». Proinde etiam cum dicitur esurire et sitire, fatigari, ignorare, dormire, flere, postulare, fugere, nasci, et calicem deprecari, ac uno verbo quaecumque carnis *sunt, de ipso praedicantur*, recte de

[1] *P. Gr.*, XXXVII, 201. — [2] ὁδοιπορία. — [3] Cfr *Philipp.*, II, 6-7. — [4] Cfr Isai., LIII, 3. — [5] λογωθείσης. — [6] I Petr., IV, 1.

singulis dicatur: Christo igitur esuriente et sitiente, pro nobis carne; et dicente se ignorare, et colaphis caeso et fatigato, pro nobis carne; rursusque exaltato et nascente et crescente et timente et latente, carne; et dicente « Si possibile est, transeat calix[1]», et vapulante et accipiente, pro nobis carne. Ipse enim apostolus idcirco non dixit « Christo igitur passo pro nobis divinitate », sed « pro nobis carne », ne ipsius Verbi naturaliter, sed ipsius carnis secundum naturam propriae agnoscantur passiones. Proinde nemo * his humanis scandalizetur, sed potius *unusquisque* agnoscat secundum naturam ipsum Verbum impassibile esse, sed etiam sic, propter eam, quam induit, carnem de ipso haec praedicari, quia carnis quidem propria sunt haec, ipsius autem Salvatoris nostri proprium corpus. Et ipse quidem impassibilis permanet secundum naturam, sicuti est, nihil exinde laesus, sed potius ea delens atque exterminans; homines autem, utpote passionibus ad impassibilem translatis et deletis, impassibiles iam et ab iis liberi fient in perpetuum[2].» Itaque qui censet et dicit unum Christum, Verbum Dei immutabiliter incarnatum et inhumanatum, ipsius dicit *esse* infirmitates carnis, non quatenus Deus est, sed quatenus secundum dispensationem incarnatum est. Sic enim etiam dicit ille doctor: ATHANASIUS: « Ut autem etiam impassibilitatem divinitatis Verbi et infirmitates quae ipsius dicuntur propter carnem accuratius quis cognoscere valeat[3].» ET RURSUS: « Homines autem, utpote passionibus ad impassibilem translatis et deletis, impassibiles iam et ab iis liberi fient in perpetuum[3]», « quia carnis quidem propria sunt haec, ipsius autem Salvatoris nostri proprium corpus[4]».

Unde, cum unus sit Christus Filius Dei inhumanatus, passibilis quidem carne, impassibilis autem divinitate, valde necessario etiam apostolus Petrus pronuntiavit, dicens « Christo igitur passo pro nobis carne[5]», non vero « natura divinitatis », ostendendo eum, qui passus est carne, Deum esse secundum substantiam carnis expertem et impassibilem et propter nos unitum corpori passibili animam rationabilem habenti. Nam

[1] MATTH., XXVI, 39. — [2] *P. Gr.*, XXVI, 396. — [3] *Ibid.* — [4] *Ibid.* — [5] I PETR., VI, 1.

si divideretur * dualitate naturarum post unionem, et natura humana singillatim esset quae passiones sufferret, supervacanea esset haec determinatio; nemo enim de homine patiente dicit eum pati carne, nam passibilis est totus homo, etsi prorsus aliae sunt passiones carnis atque aliae *passiones* animae. At quia de Deo impassibili unaque natura et hypostasi Verbi incarnata fiebat praedicatio, ideo praeco et apostolus Petrus, sciens Christum esse Filium Dei vivi, qui ex Patre impassibili impassibiliter genitus est, inhumanatus autem propter nos, valde necessario pronuntiat « Christo passo pro nobis carne[1]», et docet usque ad eum, qui aptus est ad patiendum, perrexisse experimentum passionum, quod non posset attingere impassibilem, idque cum hypostatice uniretur carni capaci passionum et cum illa suas efficeret per dispensationem passiones, quae per naturam eius *carnis* sunt. Cuius enim proprium factum est corpus, ipsius profecto et passiones, quae corporis sunt, propriae asseri debent. Quapropter et apostolicus doctor Athanasius, apostolum Petrum secutus et minime dissecans unicum Christum, de singulis infirmitatibus carnis dixit oportere dicamus, ut servetur Verbo impassibilitas et individuitas unionis ad carnem: ATHANASIUS: « Christo igitur esuriente et sitiente, pro nobis carne; et dicente se ignorare, et colaphis caeso et laborante, pro nobis carne; rursusque exaltato et nascente et crescente et timente et latente, carne; et dicente « Si possibile est, transeat calix[2]», et vapulante et accipiente, pro nobis carne[3]», dum dixit Christum esse Verbum Dei, pro nobis carnem factum.

* Sic enim et sanctus Cyrillus in Scholiis, quidnam sit Christus explicans, dixit: CYRILLUS: « Dicitur ergo Christus Verbum Dei pro nobis secundum nos factum et in forma servi[4].» Et in prima oratione adversus Theodorum mopsuestenum, similiter: CYRILLUS: « At Iesus Christus non intelligitur seorsum et per se *sumptum*, aut rursus carnis expers nostraque forma nudatum Verbum Dei, sed potius inhumanatum et incarnatum[5].» Similiter et Gregorius Theologus, in iis *quae diri-*

[1] I PETR., IV, 1. — [2] MATTH., XXVI, 39. — [3] *P. Gr.*, XXVI, 396. — [4] *P. Gr.*, LXXV, 1372. — [5] PUSEY, t. III, p. 514.

guntur adversus Iulianum atheum et cultus idolorum studiosissimum, in oratione invectiva, dicit: Gregorius: « O Christe et Verbum et passiones impassibilis [1]».

Cur ergo Leo, deserens Scripturae inspiratae et doctorum apostolicorum tritam regiamque viam, nescit dicere « Christus ergo esurivit et sitivit pro nobis carne, ceteraque humana sustinuit pati *carne* », sed ad oppositum conversus est, ad id *nempe* quod dissecat ipsum *Christum* proprie et secundum se in hominem et Deum, et in duas naturas separatim operantes et dividentes sua propria, dicens: Leo: « Esurire enim et sitire et lassescere et dormire, certissime hominis sunt. Sed quinque panibus quinque millia hominum satiare; et largiri Samaritanae aquam vivam qua qui impletus fuerit, ne ultra iam sitiat habebit; et supra dorsum maris pedibus non madefactis ambulare; elationem autem fluctuum increpata tempestate consternere, sine ambiguitate Dei sunt [2]»; et « non eiusdem naturae esse flere Lazarum, et eundem * mortuum excitare », et cetera [3]. Haec impiae scissionis et divisionis et separationis *verba sunt*. Haec *sunt* quae Gregorius Theologus dixit esse indicia duarum naturarum separatarum, divisarum et, ut ita dicam, inter se pugnantium, in Apollinarii sectatores convertendo ipsas etiam vituperationes, impietati eorum oppositas, quas ipsi censebant in orthodoxos divulgandas, cum illis eam, quae Diodori et Theodori *est,* duplicitatis filiorum et naturarum maculam falso tribuerent. Quomodo ergo erubescere non debebunt ii, qui advocati fiunt Tomi Leonis, qui duarum naturarum separatarum et inter se pugnantium manifesto praebet indicia, dividendo et singulis *naturis* tribuendo *quae* Deo digna *sunt* et humana, et ipsi dicunt se duas naturas non separatas et unitas confiteri?

* p. 147.

Non tamen mirum; nam etiam Nestorius, etsi virtualiter et re ipsa dispensationem dividit, duasque naturas praedicat post unionem, easque operantes et loquentes singillatim et seorsum inducit, et divise obtinere hanc quidem divina et alteram humana, sicut illi, asserit, non *tamen* confusas sed unitas dicit naturas, prout in antea examinatis iam citavimus. Quibus tanta inest audacia ut ipsi Gregorio ea, propter quae reprehenduntur, inferre studeant, qui ipsorum vesaniam stabiliat.

[1] *P. Gr.*, XXXV, 676. — [2] *P. Lat.*, LIV, 769. — [3] Cfr *ibid.*

Dicunt ergo Theologum, quia dixit: Gregorius: « Deinde nos criminantur tanquam duas naturas invehentes separatas aut *inter se* pugnantes [1]», ex contraposito ostendisse duas naturas unitas se confiteri. Quid * ergo, quaeso? Vobis, qui coniectatis et cordis intentiones divinatis, attendemus? Aut ea, quae ad verbum a Theologo scripta sunt, adducemus, ex quibus demonstratur eum duarum quidem naturarum agnoscere unionem, — nam unio duarum aut plurium rerum est, — unum autem ex duabus eum, qui unione perfectus est?

* p. 148.

Etenim, in prima epistula ad Cledonium sic scripsit: Gregorius: « Si quis induxerit duos filios, unum quidem eum, qui ex Deo et Patre, alterum autem eum, qui ex Maria, non autem unum eundemque, ab ea quoque filiorum adoptione excidat quae recte credentibus promissa est. Equidem naturae duae *sunt* Deus et homo, quia etiam anima et corpus *ita se habent*; filii autem non duo neque dii, nam neque hic *sunt* duo homines, tametsi etiam sic Paulus [2] eum, qui intus est et eum, qui foris est, hominem appellaverit. Atque, si paucis dicere oporteat, aliud quidem et aliud sunt ea, ex quibus Salvator, — quippe cum non idem sit quod cerni non potest cum eo, quod visibile est, neque id, quod temporis expers est, cum eo, quod tempori subest; — attamen, non alius et alius filius, absit: ambo enim contemperatione unum sunt [3].» Contemperationem [4] autem sanctus unionem sublimem et indivisibilem vocavit. Cum enim divinitas incorporalis et quae mutationem sufferre non potest unitur hypostatice corpori humano anima rationabili praedito, nemo sensatus *de his* cogitat sicut de corporibus humidis, qualia sunt vinum et mel, aut *de* mixtione atque confusione seminum inter se. Contemperationis autem nomine * certissime intelligit individuitatem, indissolubilitatem et a conversione immunitatem unionis. Si enim accideret conversionem aut mutationem fieri, non permanerent aliud atque aliud ea, ex quibus Salvator *constituitur*; et si duas naturas non separatas aut unitas fatendum esset effectas esse unione, non diceret Doctor « ea, ex quibus Salvator », sed « ea, in quibus Salvator », neque

* p. 149.

[1] *P. Gr.*, XXXVII, 201. — [2] Cfr II *Cor.*, IV, 16. — [3] *P. Gr.*, XXXVII, 180. — [4] σύγκρασις.

ulterius adderet « ambo enim contemperatione unum sunt », sed potius « ambo enim duo *sunt* unita et non separata ».

At nullus ex iis, qui recte sapiunt, dualitatem recipit post cogitationem unionis; sed si quis velit contemplari quorumnam facta sit unio, dum subtili tantum cogitatione *ea* separat, videt duas naturas esse ea, quae congregata sunt; ubi autem admittit cogitationem unionis naturalis, evanuisse reperit cogitationem figmenti dualitatis, quae mente fuerat concepta, atque deinceps clare videt inconfuse simul et indivise aliud quidem atque aliud *esse* ea, ex quibus Salvator *constituitur*, unum autem, quod ex utroque, per contemperationem; hoc enim *nomine* summam et indissolubilem unionem ipse Theologus vocavit, cum adduxit exemplum hominis nostri similis et dixit: GREGORIUS: « Equidem naturae duae *sunt* Deus et homo, quia etiam anima et corpus *ita se habent*[1] ». Sed sicut circa hominem cum considerantes cogitatione[2] differentiam secundum substantiam, et velut subtili contemplatione separantes, duas naturas iam *esse* intelligimus, hoc non possemus videre nisi contemplationem sineremus separare, * dum coniunctio ex duobus divisionem nobis praecludit atque dualitatem de medio pellit, unaque natura et hypostasis ex utroque apparet: eodem modo etiam circa Emmanuelem, contemplatione quidem ea, ex quibus *fit* unio, duo *esse* subtiliter videntur, sed re vera una natura Verbi incarnata et perfecte inhumanata demonstratur, propterea quod non in propria subsistentia subsistunt, sed potius in compositione sunt ea, ex quibus compositus est[3].

* p. 150.

Procedat autem rursus in medium sapiens Cyrillus, qui hoc testimonio Gregorii Theologi ubique usus est, tum in iis quae circa Nestorium in actis ephesinis scripta sunt, tum in opere adversus Theodorum mopsuestenum, nosque docet ita intelligere et unionem Emmanuelis et exemplum de homine nostri simili; qui magis quam nos mentem Gregorii introspexit, omnesque institutiones eximiorum Patrum callebat. Qui, in secunda quam scripsit ad Succensum *epistula*, adversus eos qui ipsi obiciebant, dicentes: « Quomodo duas naturas non conce-

[1] *P. Gr.*, XXXVII, 180. — [2] θεωρία. — [3] Nota marg. in B: Sunt in compositione, id est, unus.

demus subsistere post unionem indivise[1]? », certavit dicens: CYRILLUS: « Adversatur iterum et nihilominus propositio iis, qui unam dicunt esse naturam Filii incarnatam; idque ineptum volentes ostendere, ubique conantur duas naturas subsistentes ostendere. At eos fugit ea omnia quae non sola contemplatione separari solent, prorsus etiam in diversitatem distinctam omnimodo et singillatim a se mutuo recedere. Sit autem nobis in exemplum rursus homo nostri similis. Duas namque naturas etiam de ipso * intelligimus, unam quidem animae, alteram autem corporis. Sed meris cogitationibus discernentes et subtilibus contemplationibus seu phantasiis intellectus differentiam apprehendentes, non seorsum ponimus naturas, neque rursus perfecte virtutem sectionis in illas permittimus, sed unum esse intelligimus, ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur[2]. »

* p. 151.

En, Gregorio Theologo adhaerens, unioni Emmanuelis, ex qua efficitur unam naturam esse Verbi incarnatam, adiecit exemplum hominis nostri similis. Quemadmodum ergo hominem nostri similem nemo, insania motus, asseret in duabus naturis et hypostasibus subsistere, cum neque anima in propria subsistentia subsistat neque corpus, sed ex utroque unam hypostasim atque naturam absolvi: eodem modo nec quisquam, stultitia captus, dicit in duabus naturis et hypostasibus subsistere illum unum Christum, qui ex duobus, ex divinitate ex humanitate *constituitur*, quia neque in propria subsistentia subsistunt Deus et homo. Idque etiam in scripto « Quod unus Christus[3] », quod quasi per quaestiones et responsiones procedit, manifesto dixit sic: CYRILLUS: « Neque in universum unum dicitur solummodo id, quod simplex est et unius speciei, verum etiam id, quod ex duobus aut pluribus et ex specie diversis constituitur; sic enim res recte se habere videtur harum rerum peritis[4]. » RURSUSQUE IBIDEM: « B. Et quomodo ex duobus, *scilicet ex* divinitate et humanitate unus Christus censeatur? — A. Non alio modo censuerim quam quo se habent ea, quae inter se congregantur unione indissecabili *atque superante intellec-

* p. 152.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [2] *Ibid.*, 245. — [3] Titulus operis: ὅτι εἷς ὁ Χριστός. — [4] *P. Gr.*, LXXV, 1285.

tum, ut dixi. — B. Exempli gratia? — A. Nonne unum dicimus hominem qui nostri similis concipitur, et unam eius naturam, etsi unius speciei non est, sed potius compositus ex duobus, ex anima dico et corpore? — B. Fateor. — A. Nonne qui seorsum statuerit carnem, et ab ea separaverit animam ipsi unitam, in duos homines scindet hunc unum, atque rectitudinis rationem corrumpet[1]?» Hinc, ubi ea duo, quae unita sunt, cogitatione aliquis separat, contemplando apprehendit diversitatem specificam et differentiam substantialem[2] eorum, quae congregata sunt, unum autem, non simplex sed ex duobus compositum id, quod unione absolutum est. Et qui duo dicit post unionem, in duos filios dividit unum Christum, quod nefas est, si secundum rectum sentiendi modum loquamur. Neque enim exemplum hominis nostri similis, cum sectionem auferat, duos homines hunc unum esse sinit ut censeamus, siquidem una natura ex duobus est homo. Quod manifesto in concordia cum sancto Cyrillo Gregorius docendo dixit: « Equidem naturae duae sunt Deus et homo, quia etiam anima et corpus *ita se habent;* filii autem non duo, neque dii, nam neque hic *sunt* duo homines[3]». Cur? Quia id, quod unione absolvitur, unum est ex duobus. « Aliud quidem, ait, et aliud sunt ea, ex quibus Salvator, — quippe cum non idem sit quod cerni non potest cum eo, quod visibile est, neque id, quod temporis expers est, cum eo, quod tempori subest; — attamen non alius et alius filius, absit; ambo enim contemperatione unum sunt[4].» Quod autem et ipse Gregorius Theologus * cogitatione tantum, sicut et Cyrillus, separet naturas, dum unum sciat eum, qui ex duobus absolutus est, ostendit in oratione secunda de Filio, scribendo haec: Gregorius: « Cum naturae cogitationibus separantur, separantur cum illis et nomina. Paulum audi dicentem: « Ut Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater gloriae[5]». Christi quidem Deus, gloriae autem Pater; quamvis enim haec duo simul[6] unum sint, non tamen natura sed coniunc-

* p. 153.

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1292. In fine excerpti, interpres videtur legisse, non τῆς ἀνθρωπότητος, sed τῆς ὀρθότητος. — [2] τὸ ἑτεροειδὲς καὶ οὐχ ὁμοούσιον? — [3] *P. Gr.*, XXXVII, 180. — [4] *Ibid.* — [5] *Ephes.*, I, 17. — [6] τὸ συναμφότερον.

tione[1].» Vides haec duo simul propter coniunctionem *esse* unum, non autem eiusdem naturae[2] seu eiusdem substantiae[3]; unum enim coniunctione *sunt*, non natura. Attamen non iam duo *dantur* post coniunctionem, sed eo usque duntaxat ut sola cogitatione agnoscantur naturae ex quibus unum illud coadunatur. Quae enim in dualitate, non vero in compositione, subsistunt, quomodo haud ridiculum esset cogitatione *tantum* dici separari?

Quapropter, quando audimus Patrem vocatum Deum Christi, intelligimus ex inhumanatione nomen desumere causam *suam*. Quia enim homo factum est immutabiliter Verbum Dei, et ideo convenit ipsi Christi nomen, quatenus homo factum est, Christus etiam ipse Deum Patrem suum vocat, et merito Paulus dixit « Deus Domini nostri Iesu Christi[4]». At quando audiemus « Pater gloriae », secundum contemplationem rursus decernemus hoc nomen esse Deo dignum et ex divinitate habere causam; quia * enim est splendor gloriae et figura hypostasis paternae, per identitatem gloriae et substantiae Pater est ipsi Pater, non autem per gratiam sicut et nobis. Ideo enim Paulus nomini dispensatorio adiecit naturale et, ut ita dicam, caute praeclamavit: Non quia Pater dicitur secundum dispensationem Deus Filii facti Christi, ideo censendus est etiam per gratiam Pater; eiusdem enim est Pater secundum gloriam. Sic dum cogitatione separamus naturas, ex quibus unus Christus, separamus simul et nomina et agnoscimus quodnam *nomen* ex divinitate, quodnam autem ex humanitate habeat causam, non dum ea dividimus atque singulis naturis tribuimus; omnia enim indivise unius eiusdemque Christi sunt. Ideo enim etiam hic dixit Theologus: « Haec duo simul unum *sunt*[5]», et in prima epistula ad Cledonium scripsit sic: Gregorius: « Commixtis veluti naturis, ita et nominibus et inter se vicissim commeantibus secundum congermanitatis rationem[6].» Similiter etiam in oratione de Epiphania seu Nativitate: « Natus autem Deus cum assumpto, unum ex duobus inter se contrariis, carne et Spiritu, quorum alterum deificavit, alterum deificatum est. O novam mistionem! O miram contemperationem! Qui est, fit; creator

* p. 154.

[1] *P. Gr.*, XXXVI, 113. — [2] ὁμοφυές. — [3] ὁμοούσιον. — [4] *Ephes.*, I, 17. — [5] *P. Gr.*, XXXVI, 113. — [6] *P. Gr.*, XXXVII, 181.

creatur; incomprehensibilis comprehenditur, mediante anima, quae medium tenet inter divinitatem et crassitudinem carnis. Qui ditat, pauper fit; carnis enim meae paupertate laborat, * ut ego divinitatis eius divitiis abundem. Plenus evacuatur; evacuatur enim paululum gloria sua, ut ego de plenitudine eius accipiam[1].»

* p. 155.

Concordantia ad verbum cum istis sapiens Cyrillus, in epistula ad monachos, cuius initium est « Venerunt quidam de more Alexandriam ex iis, qui apud vos[2]», scripsit sic: CYRILLUS: « remanente unoquoque quod est, concurrentibus autem in unitatem naturalem et velut intermiscentibus quod unicuique erat proprium[3]». Dicit autem similiter etiam in oratione « Quod unus Christus », ubi ostendit coniunctione haec duo simul esse unum, unaque natura, id est, hypostasis; non enim ad identitatem naturae et consubstantialitatem ex confusione et conversione devenit, ut secundum hoc agnoscatur cum stultitia simul et blasphemia una natura, id est, substantia: quae inerudita *sententia* Grammatici redarguta est tanquam calumnians rationem orthodoxiae cum ab initio aniles eius fabulas et ineptias consideravimus. « B. Numquid ergo confusa sunt inter se et una natura facta sunt ambo? — A. At quis ita stupidus et imperitus sit, ut existimet aut naturam divinam Verbi mutatam esse in id, quod non erat, aut carnem translatam esse secundum mutationis modum in *naturam* ipsius Verbi? Nullo modo enim *hoc fieri potest:* unum ergo Filium unamque naturam eius esse dicimus, etsi agnoscitur factus in assumptione carnis animam rationabilem habentis. Ipsius enim, ut dixi, facta est humanitas; concipitur autem a nobis haud secus quam hoc modo Deus simul et homo[4].» Similiter etiam in libro * quarto enarrationis explanatoriae evangelii Iohannis scripsit sic: « Vivificans nihilominus est etiam sanctum eius corpus, coniunctum, ut ita dicam, et ineffabiliter unitum Verbo omnia vivificanti; idcirco etiam ipsius esse reputatur et tanquam unum cum eo concipitur. Indivisibile enim est post inhumanationem, nisi quantum *conducit* ad cognoscendum Verbum, quod a Patre venit, templumque, quod ex Virgine *est,* non idem secundum

* p. 156.

[1] *P. Gr.*, XXXVI, 325. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 9. — [3] *Ibid.*, 21. — [4] *P. Gr.*, LXXV, 1289.

naturam esse; non enim consubstantiale Deo Verbo est corpus, sed unum congressu incomprehensibili[1]».

Ubinam ergo sunt ii, qui fucatam separationem nobis afferunt et effata Gregorii contra ipsius Gregorii verba intelligunt, et quia ad Cledonium tertio scribendo dixit: « Deinde nos criminantur tanquam duas naturas inducentes separatas et inter se pugnantes[2]», dicunt eum ex comparatione significasse non dicendum esse duas naturas separatas, sed duas post unionem unitas et indivisas[3]? Est enim ipse suorum verborum interpres fide dignior quam distinctio per imitationem. Ipse concors est cum sancto Cyrillo, qui plura intellexit et ipsius *Gregorii doctrinas* ampliavit. Ipse dixit cogitatione tantum licere ea, ex quibus Christus, separare et dividere et intelligere duas *esse* naturas, quia aliud et aliud sunt ea, ex quibus Salvator, ambo autem unum coniunctione; et iterum unum ex duobus contrariis, divinitate et humanitate, quae erant *sibi* * inimicae et oppositae et adversariae propter peccatum, quod nobis supervenerat ex praevaricatione Adae, solvit autem atque destruxit novus Adam et Deus passibilis adversus peccatum. Itaque, qui non dicit ex unione unum ex duobus oppositis, itemque aliud et aliud ea, ex quibus Salvator, rursusque ambo unum coniunctione, duas naturas separatas et pugnantes inducit; pugna enim est separatio, itemque divise operari et loqui, quamvis adhaesionem voluntariam et fucatam inducant ii, qui dividunt. Vituperando ergo duas naturas post inexplicabilem unionem, tanquam prorsus et omnino inter se pugnantes atque remotas nisi unum ex duobus absolvi agnoscatur, non vero contrapositum inducendo, hoc dixit Doctor theologus. His quae manifesto scripta sunt ab ipso, calumniam assimilativam comparationis propulsavit, quam etiam in verba sancti Cyrilli modo inaniter instruere non erubuerunt. Cum enim ipse scripserit, in tomo secundo adversus blasphemias Nestorii, « Desine dividere naturas post unionem[4]», isti dicunt eum, prohibendo

* p. 157.

[1] *P. Gr.*, LXXIII, 577. — [2] *P. Gr.*, XXXVII, 201. — [3] Codd. in marg. explicant: « Quod hic per « distinctionem » et « comparationem » vertitur, in graeco ἀντιδιαστολή legit; quod est quasi quis dicat: non duas naturas separatas inducimus; ergo duas non separatas, et cetera. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 92.

quominus dividantur naturae, concesisse ut duae dicantur *naturae* unitae, cum Doctor prius manifesto scripserit, in eodem tomo, atque docuerit naturas non dividere post unionem id ipsum esse unam confiteri naturam Verbi incarnatam, sicque dixerit: CYRILLUS: « Ità unus concipitur et solus, et omne dictum ipsi convenit et velut ex una persona omnia dicentur: una enim natura iam * concipitur post unionem, *nempe natura* ipsius Verbi incarnata[1]».

Non autem hoc tantum loco, sed etiam ubique nihil aliud, post cogitationem unionis, dicendum producit quam unam naturam Filii incarnatam et inhumanatam; neque videtur usquam dixisse post unionem confitendum esse duas naturas unitas. Ubi etiam aliquando dicit mente considerandum esse ea, ex quibus Emmanuel *constituitur,* non aliter dicit apparere duas naturas, quae ad unionem concurrerunt, ac si quis in contemplatione separet id, quod subsistit unum ex duobus. Itaque dualitate prior omnino est separatio; attamen, perspecta illa *dualitate* in subtilibus cogitationibus usque ad agnitionem differentiae eorum *elementorum* haud consubstantialium, quae in unum congregata sunt, accedens virtus genuinae unionis ea, quae in contemplatione et cogitatione apparuerant duo, manere duo non sinit, cum unam ex duobus ostendat absolvi naturam et hypostasim Verbi incarnatam. Ex quo quisque videt amentiam et audaciam huius ridiculae comparationis et divinationis. Nam sapiens Cyrillus, adversus impium Theodoretum quoad reprehensionem quarti capituli apologiam struens, haec scripsit: CYRILLUS: « Quin nec differentiam sermonum destruximus; scimus enim ex illis alios quidem eo, qui Deum decet, modo factos esse, alios autem humanitus; et illi quidem sublimem gloriam decent, hi autem exinanitionis mensuris convenientiores sunt. Dicimus autem eos non duabus personis inter se totaliter separatis esse dividendos[3].» Rursusque ad reprehensionem capituli noni: « Ubi igitur * unio et quae exinde utilitas, si duo christi et singillatim atque seorsum uterque concipiatur et praedicetur?[1]» Et iterum, in oratione « Quod unus Christus »: « Dividentur itaque in duos

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 60. — [2] *Ibid.*, 413. — [3] *Ibid.*, 436.

filios et ambo falso nomine praediti apparebunt? Dixerit autem quis, puto, vanam imposturam esse mysterium Christi, si ita res se habeat sicut adversarii delirantes dicunt. Ubinam ergo est unio?[1]».

Numquid ergo in his omnibus locum dabimus contrapositioni insipientiae vestrae, o boni, et quia dixit « *non* personis duabus perfecte inter se separatis », contendemus cum videri concedere ex contraposito ut duabus personis perfecte inter se unitis minimeque separatis aptemus voces Deo dignas et humanas? Aut rursus, quia Doctor dixit « Ubi ergo est unio, si duo christi, quorum unusquisque singillatim atque seorsum », reputabitur per contrapositum inferre non singillatim atque seorsum unumquemque, sed coniunctim et indivise proclamandos esse duos christos? Rursus autem, cum increpaverit eos, qui separant, scripseritque « dividentur itaque in duos filios atque ambo falso nomine praediti apparebunt », putabimus satis esse per contrapositum purgari crimen dualitatis filiorum, ubi non dissecti sed uniti, non falso nomine praediti sed veri, duo filii proclamantur? Sed haec stultitiae sunt et divinationes et coniecturae et opiniones et intentiones cordis et commenta, ut alicubi dicit sacra Scriptura[2]. Neque enim duas personas dicere fas est, neque duos christos et filios non separatos et unitos, quemadmodum neque duas naturas non separatas et unitas: nam a dualitate * filiorum, christorum, personarum, hypostasium et naturarum separari non potest quod perfecte et totaliter et singillatim scindantur et elongentur et dividantur; et sicut duas personas destruit unius hypostasis praedicatio et confessio, et duos christos et filios unius filii et christi agnitio et laudatio, ita etiam duas naturas et hypostases *destruit* confessio unius naturae et hypostasis Verbi incarnati[3].

Scripsit itaque, in apologia quarti capituli, et modo citatis adiecit haec: CYRILLUS: « Nam si unus est Dominus noster Iesus Christus, unaque fides, quae in ipsum, et unum baptisma[4], una profecto erit persona eius, ut unius[5]. » In oratione autem

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1296. — [2] *Hebr.*, IV, 12? — [3] Nota in A: Hic « incarnatus » de Filio dicitur, non de natura. — [4] Cfr *Ephes.*, IV, 5. — [5] *P. Gr.*, LXXVI, 413.

« Quod unus Christus », sic scripsit: « Nam Verbum, quod naturaliter ac vere ex Deo et Patre effulsit, cum assumptione carnis et sanguinis factum est, ut modo dixi, mansit idem, id est, naturaliter ac vere Filius Patris, unusque et solus est, non ut alius cum alio, ut una etiam concipiatur eius persona[1]. » Et in epistula ad Acacium, episcopum melitinensem, sic scripsit: « Quapropter ea, ex quibus est unus et solus Christus Iesus Filius et Dominus velut in cogitationibus apprehendentes, duas quidem naturas unitas esse dicimus; verum, post unionem, tanquam iam sublata in duas sectione, unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati[2]. »

* p. 161. * Animavertendum autem est quomodo exinde ostendat id ipsum, quod quomodocumque duo dicamus, sectionem esse. Nam postquam dixerat « ea, ex quibus est Christus, velut in cogitationibus considerantes, duas naturas unitas esse dicimus », addidit « verum, post unionem, tanquam iam sublata in duas sectione, unam confitemur esse naturam Filii, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati[3] ». Equidem, non simpliciter dixerat « velut in cogitationibus apprehendentes et considerantes ea, ex quibus Christus, duas naturas dicimus », sed « duas naturas dicimus unitas esse »; cur ergo, postquam dixerat « duas *naturas* unitas », dixit « verum, post unionem, tanquam iam sublata in duas sectione »? Sed omnibus compertum est quod denique tandem duo dicere, et unum id; quod ex duobus *est*, in contemplatione separare, aliqua sectio est. Quapropter etiam cum ad Succensum scriberet dixit: « At subtilibus cogitationibus separantes[4] ». Itaque, nisi quis separaverit, duo dicere nullo modo potest.

Hoc etiam modo, cum Orientales scripsissent « Duarum enim naturarum facta est unio[5] », medici more rescripsit ipse *Cyrillus* et sicut divus Eliseus sanum sal in letiferum fontem virorum Iericho proiecit; formulam ἐκ δύο posuit in suis scriptis, quae demonstrativa est unionis hypostaticae, cuius terminus est ut una subsistat natura Verbi incarnata. Cogi-

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1297. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 192. Nota in A: Hic « incarnatus » dicitur de Filio, non de natura. — [3] Hic ponit B notam praedictam. — [4] *P. Gr.*, LXXVII, 245. — [5] *Ibid.*, 172.

tatione autem tantum considerandum est duarum naturarum factam esse unionem. Hoc quoque Nestorius aegre tulit; ex exsilio scripsit ad Theodoretum, vituperans id, quod a sapiente Cyrillo scriptum erat: CYRILLUS: « Unus enim * Dominus Iesus Christus, quamvis non ignoretur differentia naturarum ex quibus unionem ineffabilem dicimus esse factam[1] », atque contrarium proferens, dixit: NESTORIUS: « Dicendum enim ipsi fuisset, non « ex quibus », sed « quarum » unionem ineffabilem dicimus esse factam; non enim ex naturis, sed ipsarum naturarum est unio ineffabilis[2]. » Ipsi autem Nestorio adhaesit synodus chalcedonensis, quae formulam « ex duabus » removit atque reiecit, id autem, quod in duabus naturis non separatis definiatur Christus, recepit atque elegit.

* p. 162.

Quomodo ergo unionem et gubernationem sancti Cyrilli ad Orientales non condescensionem salubrem et erudientem, et quidem optimo iure, dicemus? Quod ab illis dictum fuerat « duarum naturarum facta est unio », quod intermedium est, a vesania Nestorii ad sanum sensum deflexit, ut intelligamus unionem ex duobus *factam*, et sola cogitatione duo considerentur, sed post cogitationem unionis, velut sublata iam in duas sectione, unam naturam confiteamur Filii incarnatam. Nam et Nestorius, ut modo audivimus, et sectatores eius, duarum naturarim dicunt unionem, sed affectionis *unionem*, hominem coniungentes Filio benevolentia[3] et aequalitate honoris[4], quae exinde *sequitur*, et nominis atque voluntatis conformitate[5] connectunt, ita ut etiam post huiusmodi unionem, duas nihilominus naturas confiteantur. Idque manifesto protulit sapiens Cyrillus in epistula ad Eulogium sic: CYRILLUS: « Reprehendunt nonnulli expositionem quam fecerunt Orientales, et dicunt: quare eos duas naturas nominantes toleravit aut laudavit *episcopus* * alexandrinus? Qui autem Nestorii placita sectantur dicunt et ipsum ita sentire, *sic* eos, qui rem parum accurate norunt, abripientes. Verum iis, qui *nos* reprehendunt, dicendum est non omnia, quae dicunt haeretici, fugienda esse atque repudianda; multa enim profitentur ex iis, quae nos

* p. 163.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 180. — [2] LOOFS, p. 198. — [3] εὐδοκία. — [4] ἰσοτιμία. — [5] ὁμωνυμία, ταυτοβουλία.

quoque profitemur. Exempli gratia, cum Ariani dicunt Patrem omnium creatorem et dominum esse, num ideo consequens est ut eiusmodi confessiones aversemur? Sic et de Nestorio; licet dicat duas naturas, differentiam significans carnis et Dei Verbi, — alia enim est Verbi et alia carnis natura, — unionem tamen nondum nobiscum confitetur. Nos enim illa unientes, unum Christum, unum Filium eundem, unum Dominum confitemur, ceterumque unam naturam Filii incarnatam. Simile quid et de quocumque homine *dici potest*; constat enim ex naturis diversis, ex corpore nimirum et anima; et ratio quidem atque contemplatio cognoscunt differentiam, sed ubi *illa* univimus, unam tunc naturam hominis facimus. Itaque naturarum differentiam agnoscere non est dissecare in duo unum Christum[1].» Ex termino proinde unionis dignoscitur qualis sit unio quam Nestorius confitetur, qualis autem ea, quam nos, qui recte sentimus, asserimus. Dicit enim Doctor « unionem tamen nondum nobiscum confitetur »; confitetur enim et ipse unionem, quam vocat adhaesionem, sed non « nobiscum ». Nos enim ea, ex quibus unio *facta est*, in sola contemplatione separamus, ut agnoscamus differentiam *eorum*, sicque unientes, unam naturam Filii confitemur incarnatam; ipse autem differentiam efficiendo causam divisionis et sectionis secundum rem, etiam post * unionem duas naturas dicit, excurrendo ex exemplo hominis communis, qui ex diversis et dissimilibus constituitur, ex anima nempe et corpore et, secundum rationem contemplationis separatus, ostendit differentiam eorum, quibus constat, sed una natura ex duobus est.

* p. 164.

Ostende igitur, o bone Grammatice, synodum chalcedonensem aut Tomum Leonis unionem cum sancto Cyrillo confessos esse, atque dixisse: « Nos enim illa unientes, unum Christum, unum Filium eundem, unum Dominum confitemur, ceterumque unam naturam Filii incarnatam », ita ut possent dicere de Nestorio, sicut sanctus Cyrillus, « unionem tamen nondum nobiscum confitetur ». Quodsi vero nihil ex his dixerint, unam naturam Dei incarnatam non confitendo, — nam qui hoc non dicit, frustra unum eundemque Dominum et Filium et Chris-

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 224.

tum simulat se dicere, — quomodo stupiditate plenus non es, audacia enim nondum dico, qui scribis ea, quae ostendunt te omni intelligentia destitutum?

CAPUT NONUM

Confutatio impii, qui scripsit sanctum Cyrillum dixisse nullam prorsus haberi differentiam, sive dicat quis unam naturam Dei Verbi incarnatam, sive in duabus naturis indivise unitis confiteatur Emmanuelem. Quod nos, orthodoxi, non absolute vituperamus quod duae tandem nominentur naturae, nam unio * duarum aut plurium rerum est; sed id crimini damus, quod, post unionem, duarum naturarum dicat quis esse unum Christum, aut in duabus naturis illum subsistere decernat. Quod unio vera et ementiti nominis[1] *unio* ex suis terminis agnoscuntur, haec manifesto docentibus iis, quae ad Acacium et Eulogium scripta sunt.

* p. 165.

Grammaticus: « Etenim in epistula ad Acacium et in commonitorio ad Eulogium apologiam in antecessum nobis paravit, quasi ex providentia divina ad id venisset. Nam nonnullis ibi eum dementer vituperantibus, quod ad communionem recepisset Orientales, non condescensionem[2] ex sua parte dixit esse unionem cum Orientalibus, sed manifesto docet nullam prorsus haberi differentiam sive dicat quis unam naturam Dei Verbi incarnatam, sive in duabus naturis inseparabiliter unitis confiteatur Emmanuelem[3].» Nonne haec insania sunt manifesta et ebrietas merae calumniae? Ubinam enim haec ponuntur in scriptis ad Acacium et Eulogium? Ostende sapientem Cyrillum ibi dixisse splendidas tuas nugas: Grammaticus: « nullam prorsus haberi differentiam sive dicat quis unam naturam Dei Verbi incarnatam, sive in duabus naturis inseparabiliter unitis proclametur Emmanuel[4]». Ostende eum vel mentionem huius fecisse, quod nempe in duabus naturis definiendus sit Christus. Sed in desertum abis, et incalcatam incertamque viam calcas, et in rupes inscius devenis. Aut forsan putas oculis non mentis tantum * sed et corporis destitui eos, qui legunt scripta illa ad Acacium et Eulogium? Cum enim Orientales scripsissent duarum naturarum factam esse unionem, scribens ad illos Cyrillus

* p. 166.

[1] ψευδώνυμος. — [2] συγκατάβασις. — [3] Locum non repperi. — [4] Item.

tanquam remedium salutare posuit, ut dixi, *verba* « quamvis non ignoretur differentia naturarum ex quibus unionem ineffabilem dicimus esse factam[1]». Ita etiam in epistula ad Acacium et *in commonitorio ad* Eulogium ubique *formulam* « ex duobus » exhibet, unde generatur unum secundum compositionem, id est, una natura et hypostasis Verbi incarnata. Ubi, secundum solam contemplationis rationem separantes et velut subtili cogitatione, agnoscimus differentiam atque aliud et aliud secundum essentialem notionem duoque esse ea, quae unita sunt, *intelligimus*, duo autem non existere in singularibus proprietatibus secundum subsistentiam, quia ex duobus una hypostasis et natura Filii incarnata *constituitur*. Christum vero in duabus naturis non separatis subsistere Nestorio iisque, qui in Chalcedone congregati sunt, *Cyrillus* dimisit dicendum.

Ostende ergo, o Grammatice, ostende hanc tuam audaciam reperiri in epistulis: GRAMMATICUS: « Nullam prorsus haberi differentiam sive dicat quis unam naturam Dei Verbi incarnatam, sive in duabus naturis inseparabiliter unitis confiteatur Emmanuelem ». At nullibi unquam sapiens Cyrillus dixit « verum, post unionem in duabus naturis non separatis subsistit Christus », imo oppositum *asseruit* « tanquam sublata iam sectione in duo, unam credimus esse naturam Filii, ut unius, sed inhumanati et incarnati[2]»! Neque synodus chalcedonensis sustinuit unam naturam dicere Dei Verbi incarnatam. Quousque ergo *insociabilibus saepissime idem tribuens deprehenderis et adversus voces scriptas sine scripto superbiens, et in verbis haud probabilibus temet implectens atque frusta in iisdem conversatus?

Operae autem pretium est considerare quomodo verbis adeo infirmis ridicule et stulte contendas, et frusta pugnes, dicendo: GRAMMATICUS: « Sed epistulam ad Acacium, quae magna est et plena laudibus dogmatum nostrorum, quam ne respicere quidem valent, iis, qui eam adire voluerint, relinquo. Quae autem isti ut sua ex commonitorio afferre audent, commemorabo, ut eorum audaciam et intestinam repugnantiam admiremur. Sic enim dicit sanctus Cyrillus in commonitorio: « Reprehendunt

* p. 167.

[1] *P. Gr.*, LXVII, 180. — [2] *Ibid.*, 192.

nonnulli expositionem, quam fecerunt Orientales, et dicunt: quare eos, duas naturas nominantes, toleravit aut laudavit *episcopus* alexandrinus?» Quia « ii, qui Nestorii placita sectantur, dicunt et ipsum ita sentire, *sic* eos, qui rem parum accurate norunt, abripientes », audite, aures non habentes: dicit *Orientales* dixisse duas naturas, et confitetur se hoc toleravisse et vestri atque nestorianorum stultitiam cohibuisse, dicentium sententiis *Orientalium* similia Nestorium sentire, *sic* solummodo eos, qui rem parum accurate norunt, abripientium[1].»

Quis tibi ita inordinate exsilienti et te accingenti atque exsultanti, et quidem de nulla re, sicut aliquis ex prophetis dixit[2], non diceret te similem esse *iis, qui in certaminibus hippodromi spectaculi voluptate insaniunt? Qui, priusquam sciant quonam tendat certatio equorum et quaenam pars praevaleat, supplosione pedum utuntur et plausu manuum et confuso tumultu, perinde ac si sibi obtinuissent miseri hanc stultam et damnosam victoriam. Expergiscere ergo ex insania, quae te tenet, et scito quid Doctor scripserit. Dixit igitur reprehensores hoc crimen proferre: cur Orientales duas naturas nominantes toleravit? Haec autem reprehensio profertur ab iis, qui vehementer insaniunt et valde laborant ignorantia. Nam quis tandem, de unione loquens, potest duas naturas non nominare, earumque nullam mentionem facere? Unio enim est duarum aut plurium rerum, siquidem dicere unum quid sibi ipsi uniri, sensu prorsus caret et est stultissimum. Illi etiam qui ex duabus naturis dicunt unum Christum, duarum naturarum faciunt mentionem, hocque nemo unquam, ex iis qui recte sapiunt, reprehendit. Accusabile autem est post unionem duas naturas dicere unum Christum, aut in duabus naturis subsistentibus eum definire. Quapropter igitur sanctus Cyrillus non videtur Nestorio dixisse « Desine duas naturas de Christo nominare » sed « Desine naturas post unionem dividere[3]»; rursusque « Una enim iam concipitur post unionem natura, Verbi nempe incarnata[4]».

* p. 168.

[1] Locum non repperi; textus s. Cyrilli: *P. Gr.*, LXXVII, 224. — [2] Cfr AM., VI, 13. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 92. — [4] *Ibid.*, 60.

Quid ergo dixerant Orientales? « Duarum enim naturarum facta est unio[1].» Hoc autem percipit quilibet unus tum orthodoxorum, tum sectatorum Nestorii velut ex * ipsa prolatione [* p. 169.] verborum. At ii, qui veram et hypostaticam unionem confitentur, censentque eo ipso quod unitum sit Verbo Dei saeculis antiquiori, corpus ex Virgine Dei genitrice *conceptum*, anima et mente praeditum, exstitisse, et Emmanuelem unum esse ex duobus, *nempe ex* divinitate et humanitate inconfuse, immutabiliter atque indivise, et unam esse naturam et hypostasim ipsius Verbi incarnatam, quemadmodum etiam homo nostri similis ex anima et corpore exstitit et una est natura et hypostasis ex duobus, — *ii, inquam,* sola mente subtilique contemplatione separantes, vident duarum naturarum factam esse coniunctionem naturalem, et ut primum cogitatione apprehenderunt indissecabilitatem unionis, non iam duo post cogitationem unionis dicunt, quia unam ex duobus vident hypostasim et naturam, nempe Verbi incarnatam. Verum ii, qui pollutas et abominandas Nestorii fabulas insaniunt, et mendaciter dicunt infantem prius in Virgine plasmatum esse, sicque illum Deo Verbo adiungunt secundum benevolentiam et dignitatis atque homonymiae elargitionem, qua infans, per homonymiam cum eo, qui sibi ipsum adiunxit et admovit, et Filius et Dominus vocatur, — *ii, inquam,* hanc ipsam adhaesionem vocant unionem duarum naturarum et post huiusmodi ementiti nominis unionem consequenter manent in dualitate atque dicunt in duabus naturis Christum subsistere et agnosci; siquidem non videtur sufficere adhaesio dignitatis ut infantem et Verbum, quod eum sibi secundum habitudinem copulavit, ad unam hypostasim adducat. Hoc enim unionis hypostaticae proprium est, ut scilicet ex duobus efficiat unam naturam et hypostasim Verbi incarnatam. Incassum ergo ii, qui ad mensam Nestorii blandiuntur[2], eos, * qui parum accurate doctrinam [* p. 170.] orthodoxorum norunt, terrent dicendo: En, vos quoque nominatis duas naturas, ubi « ex duabus naturis » dicitis, vel cum, in contemplatione separantes ea, ex quibus *est* Emmanuel, atque confitentes duarum naturarum factam esse unionem,

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 172. — [2] Quasi canes caudam motitantes.

post cogitationem unionis, utpote iam sublata in duas sectione, unam naturam confitemini Filii incarnati et inhumanati.

Audi etiam sapientem Cyrillum totidem verbis in epistula ad Acacium episcopum melitinensem haec scribentem: Cyrillus: « Cum itaque modus incarnationis studiose inquiritur, duo inter se ineffabiliter et inconfuse congregata secundum unionem, prorsus videt intellectus humanus; attamen unita nullo modo disiungit, sed unum ex ambolus et Deum et Filium et Christum et Dominum esse credit et firmiter admittit. At vero diversa prorsus ab hac *doctrina* est Nestorii vesania. Equidem simulat se confiteri incarnatum et inhumanatum esse Verbum, cum esset Deus; virtutem vero τοῦ incarnatum esse ignorans, duas quidem naturas nominat, sed eas a se invicem separat, ac Deum seorsum ponit et itidem singillatim hominem copulatum Deo secundum habitudinem, secundum solam honoris aequalitatem vel auctoritatem. Sic enim dixit: « Inseparabilis erat Deus a visibili; quapropter eius, qui non separatur, honorem non separo; separo naturas, sed unio adorationem[1] ». At vero fratres antiocheni ea, * ex quibus Christus *constitutus* [* p. 171.] intelligitur, simplicibus solisque cogitationibus complectentes, differentiam quidem naturarum dixerunt, quia non idem, ut dixi, secundum qualitatem naturalem divinitas et humanitas; unum autem Filium et Christum et Dominum et, utpote unius revera existentis, unam quoque eius personam esse dicunt; nullo autem modo dividunt ea, quae unita sunt. Sed neque naturalem recipiunt separationem, sicut sentire placuit auctori infelicium inventionum[2].» Quid autem sit « unita non dividere », rursusque « naturalem separationem non recipere », ipse antea docuerat, in ipsa epistula, sic scribendo: Cyrillus: « Quapropter ea, ex quibus est unus et solus Christus Filius et Dominus Iesus velut in cogitationibus apprehendentes, duas quidem naturas unitas esse dicimus; verum, post unionem, tanquam sublata iam in duas sectione, unam esse naturam Filii credimus, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati[3].»

Attende igitur quomodo dixerit etiam Nestorium nominare

[1] Loofs, p. 262. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 193. — [3] *Ibid.*, 192.

duas naturas, sed eas a se invicem separare, quia confitetur unionem habitudinis, quae non Deum inhumanatum agnoscit, sed hominem Deo copulatum; ideo etiam naturas dicit *Nestorius* se unire secundum adorationem et honorem; sed eas separat, quia non confitetur unum ex duobus Christum, unamque naturam Verbi incarnatam, etsi multis in locis, sicut ii, qui in Chalcedone congregati sunt, naturas non separatas fingit dicere. Sic, in oratione cui titulus « Expositio fidei », cuius initium est « Confitemur *dogma: consubstantialis[1] »: NESTORIUS: « Ut per omnia et duae naturae perfectae, inconfusae et non separatae in Domino nostro Christo videantur, et utraque sua propria cognoscat[2] ». Rursusque, in alio loco, quem in antea consideratis iam recitavimus: « Unus et idem, qui in increata et in creata natura conspicitur[3]. »

* p. 172.

Cur ergo exsilis, o Grammatice, recitando initium epistulae ad Eulogium, quod sic se habet: CYRILLUS: « Reprehendunt nonnulli expositionem quam fecerunt Orientales, et dicunt: quare eos duas naturas nominantes toleravit aut laudavit *episcopus* alexandrinus? Qui autem Nestorii placita sectantur, dicunt: « Et ipse ita sentit », et *sic* eos, qui rem parum accurate norunt, abripiunt[4] »? Numquid aliquis reprehendit eos, qui in Chalcedone congregati sunt, huiusmodi absurda vituperatione, cur duas naturas nominaverint cum de unione Emmanuelis loquerentur? At illam criminationem nemo unquam protulit, verum hanc, et quidem merito: cur non adhaeserint sancto Cyrillo neque dixerint ex duabus naturis unum Christum[5], sed reiecerint hanc legitimam formulam ex qua efficitur unam esse naturam Verbi incarnatam, et in duabus naturis definierint eum agnosci, et addiderint ἀδιαίρετως et contexuerint ἀσυγχύτως et consuerint ὁ αὐτός et aemulati sint similitudinem artificiosae locutionis Nestorii dicentis: NESTORIUS: « Unus et idem, qui in increata et in creata natura conspicitur[6] », et « Ut per omnia et duae naturae perfectae, inconfusae et non separatae in Domino nostro videantur, et utraque sua propria cognoscat[7] ».

[1] LOOFS, p. 329. — [2] *Ibid.*, p. 330. — [3] *Ibid.* — [4] *P. Gr.*, LXXVII, 224. — [5] Haec verba Severi: « Numquid aliquis... unum Christum », graece leguntur *P. Gr.*, LXXXVI, 1841. — [6] LOOFS, p. 330. — [7] *Ibid.*

*Cur ergo gaudes et manibus plaudis et inscius teipsum irrides confirmasque effatum auctoris libri Proverbiorum, qui dixit: « Vir stultus plaudit manibus et gaudet sibi[1] », et haec scribis: GRAMMATICUS: « Audite, aures non habentes. Dixit *Cyrillus Orientales* duas naturas dixisse, et confitetur se hoc tolerare[2] »? Primum enim omnium, o miserrime, qui etiam ad notissima excaecaris, ne manifestam quidem ex ipsa verborum dispositione reprehensionem times? Quae enim apposita sunt verba, tanquam ex persona vituperantium *Cyrillum* eosque, qui rem parum accurate norunt, abripientium adducuntur. Ipse autem sanctus Cyrillus nondum quidquam tandem tanquam ex propria persona locutus est. At, postquam inane vituperationis et criminationis verbum complevit, tunc ipse exorditur, dicens: « Ad eos vero, qui *nos* vituperant, dicendum est[3] ». Si ergo haec scribuntur tanquam ex persona eorum, qui vituperant et reprehendunt *Cyrillum* et abripiunt eos, qui rem parum accurate norunt, dicuntque: « Quare eos, duas naturas nominantes, toleravit aut laudavit *episcopus* alexandrinus? Qui autem Nestorii placita sectantur dicunt et ipsum ita sentire[4] », cur tu inscientissime et audacissime, quasi his ex persona sapientis Cyrilli dictis, te accingis et dicis: « Et eos duas naturas dixisse asserit, et se id recipere confitetur[5] »?

* p. 173.

Sed demus etiam ex persona eximii Cyrilli haec fuisse dicta. Quaenam ergo sunt? Duas naturas nominantes toleravit et laudavit. Et quid, quaeso, dixerunt? Duas naturas nominarunt. Pateant enim clare omnia. Dixerunt: « Duarum enim naturarum facta est unio[6] ». Quid ergo in hoc *ex tuis *sententiis* vides ab illis dictum, o Grammatice? Numquid dixerunt ex unione id effectum esse, quod in duabus naturis agnoscatur unus Christus? Aut id, quod dixisti « nullam haberi differentiam, sive dicat quis unam naturam Dei Verbi incarnatam, sive in duabus naturis indivise unitis confiteatur Emmanuelem subsistere »? At nihil omnino huiusmodi invenire est *in eorum verbis*. Proinde a sapientissimo Cyrillo, qui eos toleravit, peta-

* p. 174.

[1] *Proverb.*, XVII, 18. — [2] Locum non repperi, ut supra, p. 117. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 225. — [4] *Ibid.* — [5] Vide etiam supra, p. 117. — [6] *P. Gr.*, LXXVII, 172.

mus quomodo toleraverit id, quod ab eis dictum fuerat: « Duarum enim naturarum facta est unio ». Ipse igitur, cum ad illos scriberet, ut antea iam diximus, ad unionem hypostaticam, veram et naturalem deducens dictum, quod ambiguum erat, tanquam vivam scintillam proiecit hoc *effatum*: « Unus enim Dominus Iesus Christus, quamvis agnoscatur differentia naturarum ex quibus unionem ineffabilem dicimus esse factam[1]. »

Ad Acacium autem scribens, eamdem formulam, velut quamdam anchoram, firmiter retinuit, dico *formulam* « ex duobus », qua velut in solis cogitationibus, et separatione secundum contemplationem, ac subtilibus phantasiis mentis concipitur ex duabus naturis unionem esse factam, efficitur vero id, quod post unionis cogitationem una natura clarissime videatur subsistere, Verbi nempe *natura* incarnata, immunis ab omni confusione et divisione. Quae *verba*, etsi modo allata sunt, rursus recitabo ut audiant ii, qui insensibiles tuas aures non habent, aures autem habent audiendi, ut dixit Dominus noster Iesus, Dominus evangelii et totius Scripturae inspiratae: * CYRILLUS: « Quapropter ea, ex quibus est unus et solus Filius et Dominus Iesus Christus velut in cogitationibus apprehendentes, duas quidem naturas unitas esse dicimus; verum, post unionem, tanquam sublata iam in duas sectione, unam naturam Filii credimus, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati. Si vero dicatur incarnatum et inhumanatum Deus Verbum, procul abiciatur mutationis suspicio, mansit enim quod erat; proclametur autem a nobis prorsus inconfusa unio[2]. » ET POST PAUCA: « Cum itaque modus incarnationis studiose inquiritur, duo inter se ineffabiliter et inconfuse congregata secundum unionem prorsus videt intellectus humanus; attamen unita nullo modo disiungit, sed unum ex ambobus et Deum et Filium et Christum et Dominum esse credit et firmiter admittit. At vero diversa prorsus ab hac *doctrina* est Nestorii vesania[3]. » Attende quomodo, postquam dixerat « sed unum ex ambobus et Deum et Filium et Christum et Dominum esse credit et firmiter admittit », statim adiunxerit « at vero diversa prorsus ab hac confessione est Nestorii vesania ». Haec sunt verba

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 180. — [2] *Ibid.*, 192. — [3] *Ibid.*, 193.

epistulae ad Acacium: unum ex duobus, ex divinitate et humanitate, credere esse et Deum et Filium et Christum et Dominum, solaque mente discernere duarum naturarum factam esse unionem, sed post cogitationem unionis, tanquam sublata iam in * duas sectione, unam naturam confiteri Verbi incarnatam.

Ostende igitur, o maxime inconsiderate grammaticorum, et qui mentem habes velociorem quam linguam, imo qui ex spiritu vehementi providentiam linguae amittis, synodum chalcedonensem aut Tomum Leonis scripsisse « ex duobus », vel *eos* « ea, ex quibus est unus et solus Christus, velut in cogitatione apprehendentes, duas quidem naturas unitas dicere, sed post unionem, tanquam sublata iam in duas sectione, unam credere esse naturam Filii, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati ». Cum autem ad haec absque voce sicut petrae sint, nullamque ex his vocibus orthodoxis proferre valuerint in iis quae scripserunt, imo « ex duobus » confiteri unum Christum recusaverint et pro hac *formula* introduxerint eum « in duabus naturis » esse et intelligi, tempus dicendi tibi id, quod scriptum est in libro Iudicum: « Ubi *est* ergo os tuum, quod dixit[1]: Sed epistulam ad Acacium, quae magna est et plena laudibus dogmatum nostrorum, quam ne respicere quidem valent, iis, qui eam adire voluerint, relinquo[2] ». Fortasse ea, quae ignominias et ludibria tibi praeparant, dum mentiris atque impie agis, laudes tibi allatura speras? Itaque, postquam epistula ad Acacium sic te praeclaris coronis coronavit, ad epistulam ad Eulogium veloci pede procede. Et quia, ubi initium eius apposuisti, deprehensus es incassum exsiliens, ut ipse sermo convicit redarguendo ineptas nugas tuas, addam ea, * quae sequuntur; rursus enim etiam ex illis deprehenderis adversus temetipsum apponens sacra verba sapientis Cyrilli: CYRILLI *verba*, quae adducit GRAMMATICUS: « Verum iis, qui *nos* reprehendunt, dicendum est non omnia, quae dicunt haeretici, fugienda esse atque repudianda; multa enim profitentur ex iis, quae nos quoque profitemur. Exempli gratia, cum Ariani dicunt Patrem omnium creatorem et dominum esse, num ideo consequens est ut eiusmodi confessiones aversemur? Sic et de Nestorio; licet dicat

[1] *Iudic.*, IX, 38. — [2] Locum non repperi, ut supra, p. 116.

duas naturas, differentiam significans carnis et Dei Verbi, — alia enim est Dei Verbi et alia carnis *natura,* — unionem tamen nondum nobiscum confitetur. Nos enim illa unientes, unum Christum, unum Filium eundem, unum Dominum confitemur, ceterumque unam naturam Dei Verbi incarnatum[1]. » 5

Hucusque exemplum et testimonium apposuit mirabilis Grammaticus; quapropter etiam signa[2] posui, quibus solent testimonia Patrum orthodoxorum dignosci; et obelos[3], praeter illa signa, posui, ut qui occurrent sciant *illa verba* manu abominanda et iniqua huius *Grammatici* apponi sicut in scripto 10 eius lamentabili reperiebantur. Saepe enim haec ipsa verba diverse apponuntur *ab eo,* imo alicubi etiam invertuntur; equidem, integritatem doctrinae magistri non laedunt *verba sic allata,* sed ostendunt tantum ipsum ineruditum esse atque genuini textus cognitione destitui. Id vero, quod casu *ipsi* occu- 15 rit, prout potuit scripsit hic auctor, et exinde etiam ostendit, *p. 178. iuxta dictum apostolicum, *se nescire ea, quae dicit, neque intelligere de quibus affirmat[4]. Hoc autem evidens est iis, qui legunt, ex ipsis *verbis* exempli, quod ego paulo supra integre apposui. Itaque, ad illum iam respondendum est: Recurre 20 ad ea, quae a magistro scripta sunt, ò bone, *et vide* quomodo dixerit commune esse nobis et Nestorio duas naturas dicere vel nominare usque eo ut agnoscamus differentiam Dei Verbi et carnis[5]; diversum enim est Illud ab ista secundum qualitatem naturalem et substantiae heterogeneitatem, et tam *diver-* 25 *sum* quidem quantum elongatur a facto et creato increatum et infectum. Utique qui Nestorii placita sectantur exinde nos ipsorum doctrinae assentiri pronuntiabunt, nihilque obstat aut prohibet; adorientur autem, sicut tu, sanctum Cyrillum et dicent « Dicit Nestorium duas naturas dixisse, et fatetur se 30 id tolerare ». Sed respondebit eis simul ac tibi, quidnam separet rectam confessionem et Nestorii *doctrinam indicando,* et dicet: Cyrillus: « Unionem tamen nondum nobiscum confitetur.

[1] *P. Gr.,* LXXVII, 225. — [2] Signum est angulus cum puncto inserto. — [3] Obelus est lineola quam sequuntur duo puncta, superius unum et alterum inferius. Signa et obeli in margine ponuntur. — [4] I *Timoth.,* I, 7. — [5] Haec verba Severi: « commune . . . carnis », graece leguntur *P. Gr.,* LXXXVI, 1845.

Nos enim illa unientes, unum Christum, unum Filium eundem, unum Dominum confitemur, ceterumque unam naturam Filii incarnatam. Simile quid et de quocunque homine *dici potest;* constat enim ex naturis diversis, ex corpore nimirum et anima; 5 et ratio quidem atque contemplatio cognoscunt differentiam, sed ubi *illa* univimus, unam tunc naturam hominis facimus. Itaque naturarum differentiam agnoscere non est dissecare in duo unum Christum[1] ».

Iterum ergo ad te iisdem verbis utemur: Ostende ea, quae 10 separant sanam fidem *et Nestorii vesaniam, reperiri in defi- *p. 179. nitione synodi chalcedonensis et in Tomo Leonis, *scilicet* quod ex naturis diversis facta est unio; nam « ex diversis » indicat « ex duabus ». Profer in medium utrum dicat *synodus vel Leo* secundum solam contemplationis rationem se agnoscere 15 differentiam eorum, quae unita sunt, atque proinde postquam illa univerint, et post cogitationem unionis, cum distinctione diversitatis se non recusare agnoscere unam esse naturam Filii incarnatam; sin autem illa non dixerint, cum Nestorio collocabuntur et ad eos dicet sanctus Cyrillus: « Verum, non 20 confitemini unionem nobiscum ». Ostende autem, si tibi placeat, id quod tuum est, quodque iterum dixisti, in verbis magistri a te recitatis: Grammaticus: « En hic manifesto solam unionem hypostaticam requirit; neque recusat dicere duas naturas: alia enim est Verbi, alia carnis *natura;* et, perquam breviter lo- 25 quendo[2], unam naturam Dei Verbi incarnatam[3] ».

Optime quidem nosti quid etiam sapiens Cyrillus requirat, *scilicet eum censere* necesse esse confiteri unionem hypostaticam et unam esse naturam Dei Verbi incarnatam; sed synodum chalcedonensem Tomumque Leonis repetitum debitum non solvisse 30 non concedis. Ubinam, quaeso, confessi sunt unionem hypostaticam? Nusquam; imo, prorsus oppositam, loco illius, invexerunt *unionem,* nempe habitudinis, quae secundum dignitatem intelligitur, et communem gloriam atque exinde *sequentem* honoris aequalitatem, quam etiam unionem personae voca- 35 runt. Aut nonne haec manifesto nobis proclamavit epistula instar confessionis *Deo dignae apostoli Petri? Leo: « Et nul- *p. 180.

[1] *P. Gr.,* LXXVII, 225. — [2] Cfr infra, p. 127. — [3] Locum non repperi.

lum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt utraque, et humilitas hominis et magnitudo deitatis. Sicut enim miserando Deus mutationem non subit, ita homo magnitudine divinae dignitatis non consumitur[1].» RURSUSQUE: « Quamvis enim maxime in Domino nostro Iesu Christo Dei et hominis una sit persona, aliud tamen est unde in utroque communis est contumelia, aliud unde communis est gloria. Ex nobis enim est illi humanitas minor Patre, ex Patre autem est illi divinitas aequalis cum Patre. Propter hanc ergo unitatem personae in utraque natura intelligendam, et Filium hominis descendisse de caelo legimus[2]».

Haec autem rursus hic proferendo, paulisper supervacaneo egi, cum in praecedentibus fuse ante omnium oculos ea expanderim et sollicite pro posse examinaverim. Verum, ostende in iis unionem hypostaticam, unam naturam Dei Verbi incarnatam. At, non vales, nam profert adversus te Leo unionem personae, quae in utraque natura est intelligenda, propter quam quidem miserando Deus non mutatur, homo autem magnitudine potentiae dignitatis divinae non consumitur, et in Domino nostro Iesu Christo Dei et hominis una est persona, et ab uno quidem communis est contumelia, ab altero autem communis gloria. Itaque, in Domino nostro Iesu Christo Deus et homo *est,* non Dominus noster Iesus Christus Deus * simul et homo idem *est,* id est, Deus inhumanatus. Proinde invenitur, iuxta hunc garritum et hanc impiam stoliditatem, diversus Christus ab iis, quae in ipso sunt, a Deo dico et homine, quia nomen Christi commune est illis et uterque velut pellem leonis et spolium ovis homonymiam induit, unaque appellatione comprehenditur, et ita in Domino nostro Christo Dei et hominis una est persona.

* p. 181.

Nam et Nestorius, in oratione de inhumanatione, sic scripsit: NESTORIUS: « Complexus est ergo utramque naturam in una Christi appellatione, ne alterum sine altero intelligeretur[3]». Rursusque, in epistula ab ipso scripta ad epistulam secundam synodicam sancti Cyrilli: « Quia enim mortis facturus erat mentionem, ne quis hinc Deum Verbum patibile putaret, sub-

[1] *P. Lat.*, LIV, 767. — [2] *Ibid.*, 769. — [3] LOOFS, p. 318 (latine tantum).

iungit nomen « Christus », quod est appellatio designans impatibilem et patibilem substantiam in unica persona, ut citra periculum impatibilis et patibilis vocetur Christus, impatibilis quidem divinitate, patibilis autem natura corporis[1].» Rursusque, in oratione adversus Theopaschitas seu Cyrillianos: « Et quid, quaeso, merito magis reformidatur? Utrum naturam deitatis assumentem et *naturam* humanitatis assumptam inter se miscere, an utramque constringere dignitate unius filiationis[2]?» Haec definit cum iis, quae modo apposita sunt, mirabilis Leo, addendo in ipso Tomo etiam hoc « sed unum Filium Dei et Verbum confiteremur et carnem[3]».

* Haec autem, ut antea dixi, iam fuse fuerunt et allata et reprehensa; nunc tamen pro necessitate velut tangendo tantum mentionem eorum fecimus. Cur ergo, o inanis, dum patronus es huius impietatis, quae non solum vacua est, sed et opposita verbis sapientis Cyrilli, risum non times, qui profers verba et doctrinas magistri atque stulte scribis: GRAMMATICUS: « En hic manifesto solam unionem hypostaticam requirit; neque recusat dicere duas naturas: alia enim est Verbi, alia carnis *natura*; et, ut breviter dicam, unam naturam Dei Verbi incarnatam[4] »? Iterum enim audies a nobis: Quae quidem requirat sapiens Cyrillus, dicis; quae autem debuit dicere synodus chalcedonensis et non dixit, lucide ostendisti. Idem fecisti ac si quis, patrocinium debitoris alicuius pecuniae suscipiens, cum quidem ex capite summae aut ex foenore quidquam solvisse neque dicat neque demonstret, sed chirographum debiti legat et pandat iniustitiam debitoris. « Verum, dicis, non recusat clarissimus Cyrillus duas naturas nominare: alia enim est natura Verbi, alia carnis anima et ratione praeditae *natura.* » Dico tecum *hoc* et ego[5]. Qui enim unionem hypostaticam confitetur, etiam ex duabus naturis dicit compositum unum Christum et credit exinde unam naturam et hypostasim Verbi incarnatam absolvi. Atque, sola contemplatione separans, novit duarum naturarum diversarum minimeque inter se consubstantialium factam esse

* p. 182.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 52. — [2] Locum non repperi. — [3] *P. Lat.*, LIV, 773. — [4] Locum non repperi, ut supra, p. 125. — [5] Haec verba: « Verum . . . et ego », graece leguntur *P. Gr.*, LXXXVI, 1845.

naturalem coniunctionem; ubi vero cum separatione contemplationis insecabilem cogitationem unionis apprehendit, non iam duo dicit * post unionem, id est, post cogitationem unionis; una enim ex utroque absoluta est natura et hypostasis Filii incarnata et inhumanata.

* p. 183.

Nec desinit haec ad te diverse clamare magister. Et imprimis in epistula ad Eulogium, quam in manibus habes; sed oculos tuos claudis, et videre renuis ea, quae te ab errore tuo removent, et prohibent quominus differentiam naturarum, ex quibus *est* unus Christus, deducas ad totalem sectionem, ita ut etiam post unionem duas naturas dicas; si enim videre voluisses, non resecuisses, dum exemplum apposuisti, ea quae sic se habent: CYRILLI *dictum, quod* resecuit GRAMMATICUS: « Simile quid et de quocumque homine habetur. Constat enim ex naturis diversis, ex corpore nimirum et anima; et ratio quidem atque contemplatio cognoscunt differentiam, sed ubi illa univimus, unam tunc naturam hominis facimus. Itaque naturarum differentiam agnoscere non est dividere in duo unum Christum [1].» Et in epistula ad Acacium similiter; — nam eadem remedia saepius tibi adhibere et tuas erroneas varietates circumire non desinam, idem verbum opportune usurpans circa tuum importune *prolatum,* quod in iisdem inaniter volvitur et accessus quaerit sacrorum verborum sancti Cyrilli, ut impudens os tuum occludatur. Foveam enim profundam esse os iniqui dicit liber Proverbiorum [2]; sed et « omnis iniquitas oppilabit os suum » David propheta sapienter psallit [3]: foveam vero profundam quomodo obstruet aliquis, nisi * eadem in ipsam saepissime proiciat?—CYRILLUS: « Quapropter ea, ex quibus est unus et solus Filius et Dominus Iesus Christus velut in cogitationibus apprehendentes, duas quidem naturas unitas esse dicimus; verum, post unionem, tanquam sublata iam in duas sectione, unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati [4].» RURSUSQUE: « Cum itaque modus incarnationis studiose inquiritur, duo inter se ineffabiliter et inconfuse congregata secundum unionem prorsus

* p. 184.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 225. — [2] *Proverb.*, XXII, 14. — [3] *Psalm.* CVI, 42. — [4] *P. Gr.*, LXXVII, 192.

videt intellectus humanus; attamen unita non dividit, sed unum ex ambobus Deum et Filium et Christum et Dominum esse credit et firmiter admittit. At vero diversa prorsus ab hac *doctrina est* Nestorii vesania [1].»

Quod enim « ex duobus » confiteatur quis unum Christum, et unam hypostasim atque naturam Verbi incarnatam, hoc distinguit et procul removet a vera fide vesaniam Nestorii. Etenim sanae fidei proprium est sola mente separare et perspicere duo et substantialiter diversa esse ea, quae in unum congregata sunt, sed, post cogitationem unionis, agnoscere ea, quae unita sunt, minime separari, propterea quod unus ex duobus est Christus atque, tanquam sublata iam sectione in duo, una est natura et hypostasis Filii, verum inhumanati et incarnati. Amentiae autem Nestorii proprium est non usque ad diversitatem secundum substantiam *tantum,* velut in cogitatione et contemplatione separare in duo ea, ex quibus facta est unio * ineffabilis, sed remanere semper in dualitate et recusare dicere unam ex duobus naturam et hypostasim Filii inhumanatam, iamque naturis secundum hypostases separatis indivisionem affingere, quae *oritur* ex dignitate, ex homonymia, ex unitate personae: quae introducit manifesto duos christos et filios.

* p. 185.

Itaque non cessabimus dicere: ostendat aliquis synodum chalcedonensem aut Tomum Leonis confessos esse unionem hypostaticam, aut naturalem coniunctionem, aut ex duobus unum Christum, aut unam naturam Dei Verbi incarnatam; et tunc agnoscemus eos, ad instar sapientis Cyrilli, sola contemplatione discernentes diversitatem substantialem eorum, quae ineffabiliter congregata sunt in unum, scire aliam esse Verbi aliamque carnis naturam, duoque inter se inconfuse congregata mente percipere, minime vero separare [2]. Quodsi vero neque unionis hypostaticae, id est, naturalis, mentionem fecerunt, neque unam naturam Dei Verbi incarnatam confessi sunt, sed prohibuerunt quominus *formula* « ex duobus » dicatur, et ubique a Leone audire est unionem ex dignitate et personae *unionem* non esse mendacem, itemque unum Filium Dei pro-

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 193. — [2] Haec verba Severi: « Itaque... separare », graece leguntur *P. Gr.*, LXXXVI, 1841.

clamari Verbum et carnem, quomodo non evidens est eos, ad instar Nestorii, remanere in dualitate naturarum easque separare in *naturas* quae prorsus singillatim et seorsum subsistunt, quia unum ex duobus non admittunt et re ipsa separantes, id lingua asserere erubescunt, cum a dicendo « non separatas 5
* p. 186. naturas » ad instar ipsius *Nestorii* non refugiant? * Cuiusnam enim sit unio personae, et *unio* secundum dignitatem, itemque *formula* « unus Filius Dei proclamatur Verbum et caro' », notum est; certissime illius *Nestorii* est atque sectae eius, nullius vero eorum, qui recta sapiunt. Illos autem audire est, sed ad de- 10 cipiendos ineruditos, *dicentes*: « Nestorius dicit « Separo naturas »; nos autem dicimus duas naturas indivisas et unitas.»

Nonne ergo inaniter, o Grammatice, de sancto Cyrillo scribis: « Neque recusat dicere duas naturas: alia enim est Verbi, alia carnis natura [1] »? Ecce enim manifesto vides quantum distent 15 synodi chalcedonensis et Tomi Leonis *asserta*, quorum apologiam introducis, a doctrinis sapientis Cyrilli. Praeterea tu, qui epistulam secundam ad Succensum saepissime nobis revolvis, ignoras quomodo dixerit magister, adversus eos qui, sicut tu, differentiam naturarum, quae velut in sola contemplatione dis- 20 cernitur, praetextum assumebant totalis sectionis et contra ipsum dicebant « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise [2] ? »: CYRILLUS: « Adversatur iterum et nihilominus propositio iis, qui unam dicunt esse naturam Fili incarnatam; idque ineptum volentes ostendere, 25 ubique conantur duas naturas subsistentes ostendere. At eos fugit ea, quae non sola contemplatione separari solent, prorsus etiam in diversitatem distinctam omnino et singillatim a se mutuo recedere. Sit autem nobis in exemplum rursus homo nostri similis. Duas namque naturas etiam de ipso intelligimus, 30
* p. 187. unam * quidem animae, alteram autem corporis. Sed meris cogitationibus discernentes et subtilibus contemplationibus seu phantasiis intellectus differentiam apprehendentes, non seorsum ponimus naturas, neque rursus perfecte virtutem sectionis in illas permittimus, sed unum esse intelligimus, ita ut illae duae 35 *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur [3].»

[1] Cfr supra, p. 127. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [3] *Ibid.*, 245.

Quia ergo id, quod ex compositione et ex duobus unum *exsurgit*, — est autem natura Verbi incarnata, — sola contemplatione separatur, et velut ad cognoscendam differentiam eorum, quae in unum coniuncta sunt, scilicet *ad cognoscendum* 5 unum quidem increatum, alterum autem creatum, unum divinitatem, alterum humanitatem esse, et usque ad qualitatem essentialem, quae alterum et alterum distinguit, — neque enim idem secundum substantiam divinitas et humanitas, — desine, o Grammatice, in diversitatem, quae seorsum et totaliter et sin- 10 gillatim separat naturas, dissecare unum illud, quod in compositione *invenitur*, et conari duas naturas subsistentes ostendere, atque audacter dicere cum iis, qui olim pugnabant adversus sanctum Cyrillum: « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise [1] », itemque adversari iis, qui 15 dicunt unam esse naturam Filii incarnatam. Nam in compositione, absque defectu et confusione, subsistunt naturae ex quibus unus *Christus* coalescit, non vero in singulari propriaque subsistentia, ita ut dicatur duas naturas subsistere. * Sic enim etiam * p. 188. quoad hominem nostri similem; cum una natura sit et hyposta- 20 sis, quae ex anima et corpore *constat*, iuxta verbum magistri, ubi meris cogitationibus et subtilibus contemplationibus seu phantasiis intellectus separamus, duas naturas de ipso quoque intelligimus, animae unam et corporis alteram, ex quibus unus ille *homo* coalescit. Ideo enim dixit *Cyrillus* « intelligimus duas natu- 25 ras », et nos non dicimus « subsistunt duae naturae », — non enim unaquaeque ex naturis in propria subsistentia subsistit, nam una ex utraque *habetur* natura et hypostasis. Cum enim distinctione et cogitatione differentiam apprehendimus, et consideramus duo illa, quae unita sunt, heterogenea esse mini- 30 meque consubstantialia, hic diversitatem refrenamus, neque propterea quod aliud atque aliud sunt secundum substantiam ea, ex quibus unum coaluit, ideo etiam in diversitatem hypostasium et naturarum scinditur; una enim ex duobus est natura et hypostasis Verbi incarnata.

35 Id etiam manifeste clamant verba magistri, quae ad eos,

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 244.

qui aures suas voluntarie non obturant, sic loquuntur: « Sed
meris cogitationibus discernentes, et velut subtilibus contem-
plationibus seu phantasiis intellectus differentiam apprehen-
dentes, non seorsum ponimus naturas, neque rursus perfecte
virtutem sectionis in illas permittimus, sed unum esse intel-
ligimus, ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque
unum animal absolvatur[1].» Sicut ergo hic dixit « duas naturas
intelligimus », ita etiam, cum Orientales dixissent « duarum
* p. 189 enim naturarum facta est * unio[2]», *Cyrillus*, in epistula ad
Eulogium, hoc *assertum* etiam ad separationem, quae cogita-
tione et subtili contemplatione tantum *fit*, contrahendo, dicit:
« Et ii, qui duas naturas dicunt, ita intelligunt[3]». Postea,
totalem sectionem prohibendo, ne ea, quae in contemplatione
ut duo agnita fuerant, rursus post cogitationem unionis *ut*
duo subsistere conciperentur, coniunctim addidit: CYRILLUS:
« Attamen, unione iam asserta, non amplius a se separantur
quae sunt unita, sed unus iam *existit* Filius, unaque eius natu-
ra, tanquam Verbi incarnati. Haec confessi sunt Orientales, licet
quod ipsam formulam paulisper tenebris offusi fuerint[4].»

Etenim tenebrae revera in eo habebantur quod, dicentes
unionem duarum naturarum, scilicet veram et hypostaticam,
ad quam eos adduxerat sapiens et spiritualis venator, rescri-
bendo « quamvis differentia naturarum agnoscatur, ex quibus
ineffabilem unionem factam esse dicimus[5]», post eiusmodi
unionem remanerent in dualitate, solverent unionem, in seipsos
tanquam excaecati offenderent, atque eundem tum unitum tum
divisione solutum efficerent. Sed tales vertigines destruxit me-
dicus et magister. Ubi enim recepit eos, qui dixerant duarum
naturarum factam esse unionem, nec quidquam addere ausi
fuerant ex iis, quae ad coniunctionem habitudinis aut largi-
tionem divinae potestatis pertinent, neque unitatem personae,
vel homonymiae, aut « unus secundum filiationem », adduxit
dictam *unionem* ad unionem naturalem, veram et hypostaticam,
* p. 190. iniciendo *formulam* « ex duobus », ex qua efficitur * unam esse
naturam Dei Verbi incarnatam, ita ut sola contemplatione

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 245. — [2] *Ibid.*, 172. — [3] *Ibid.*, 225. — [4] *Ibid.* —
[5] *Ibid.*, 180.

agnoscamus duo quaedam diversa secundum substantiam esse
ea, quae concurrerunt in unionem, non autem deinceps separe-
mus eam, quae ex utroque est, unam hypostasim et naturam
Filii inhumanatam, neque dicamus duas naturas non separatas
post unionem, sicut qui gloriantur in stultitia; adversari enim
assertionem duarum *naturarum* post unionem confessioni unius
naturae Verbi incarnatae dixit magister.

Sic ergo postquam id, quod ab Orientalibus ambigue dictum
fuerat, duarum *scilicet* naturarum factam esse unionem, addi-
tione a se *facta* et sapientibus explicationibus sanavit, tunc con-
fert cum illorum confessione vaniloquia Nestorii, et dicit: « At
vero diversa prorsus est ab hac *doctrina* vesania Nestorii[1].» Rur-
susque, cum dixissent episcopi orientales: « Evangelicas autem et
apostolicas de Domino voces scimus viros theologos alias quidem
communes facere, tanquam ad unam personam *pertinentes*, alias
autem dividere, tanquam ad duas naturas *pertinentes*, et illas
quidem, quae Deo conveniunt, divinitati Christi, humiles vero
humanitati eius deputare[2]», ipse per sapientem suam institu-
tionem illud medicamentum a se *inventum* adhibuit, eo quod
« ex duobus » introduxit unum Christum destruens, post inexpli-
cabilem unionem, divisionem duplicitatis naturarum, simulque
destruens divisionem vocum et explicans differentiam esse
vocum, quae ab illis dicta fuerat separatio, non vero divisionem
ita ut unaquaeque ex * naturis suas *voces* divise acciperet et * p. 191.
velut iuxta dualitatem filiorum divise loqueretur. Una enim est
hypostasis et natura Verbi incarnata, quae diversas voces,
divinas et humanas et eas, quae divinam simul et humanam in-
dolem gerunt, indivise in se recipit atque loquitur. Nec subli-
mitatem amittit, nam in quibus erat, remansit. Nec humilita-
tem propter dispensationem *sibi accidentem* contemnit, nam
exinanivit semetipsum voluntarie propter benignitatem erga ho-
mines[3], a nullo ad hoc adactus.

Ideo ergo, etiam in epistula ad Acacium, illa *verba*, a quibus
prorsus remotus et alienus est Grammaticus, scripsit sic: CY-
RILLUS: « Differentiam autem vocum nullo modo sustulimus,
quamvis abhorrescamus ab illis dividendis, tanquam Filio seor-

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 193. — [2] *Ibid.*, 172. — [3] φιλανθρωπία.

sum, Verbo quod ex Deo et Patre est, rursusque tanquam homini, qui ex muliere, seorsum intellecto filio. Una enim certissime est natura Filii; scimus enim eam incarnatam et inhumanatam, sicut iam antea dixi [1].» Ostendat ergo synodus chalcedonensis se dixisse se agnoscere differentiam vocum et abhorrere ab illis dividendis, confitendo unam esse naturam Verbi incarnatam. Quodsi vero non confessa est unam naturam Filii inhumanatam, sed per Tomum Leonis duas introducit naturas proprias voces loquentes et dignitate atque homonymia filiationis speciem individuitatis ostentantes, sicut antea fusa confutatione probavimus, quomodo egregius Grammaticus ausus est * scribere: « Sed epistulam ad Acacium, quae magna est et plena laudibus dogmatum nostrorum, quam ne respicere quidem valent, iis, qui eam adire voluerint, relinquo [2] »? Quomodo audaci et sacrilegae suae sententiae aptavit Orientalium voces spoliatas salutaribus atque doctrinalibus explicationibus salutaris atque doctrinalis condescensionis qua erant dignati?

(* p. 192.)

CAPUT DECIMUM

Quod etiam ex iis, quae impius Theodoretus scripsit, manifesto apparet Orientalium voces, quae ambiguae erant et poterant haereticis praetextus suppeditare, doctrinalibus et salutaribus additamentis correctas esse a sancto Cyrillo, quodque diserte scripsit se ad illos condescendisse. Probatur etiam multis testimoniis eos, etiam post condescensionem, aegrotavisse et de pollutis Nestorii dogmatibus doluisse.

Placeret mihi interrogare immundum *Grammaticum*, nihilque aliud scientem nisi quodlibet mendaciter scribere, et in tanta impietatis magnitudine putantem se latere, et speciem pietatis ostentantem: Quomodo tu, postquam haec verba Orientalium spoliata adduxisti: « Evangelicas autem et apostolicas de Domino voces scimus viros theologos alias quidem communes facere, tanquam ad unam personam *pertinentes*, alias autem dividere, tanquam ad duas naturas *pertinentes* [3]», hic stetisti,

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 193. — [2] Locum non repperi, ut supra, p. 116. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 172.

et de sancto Cyrillo dixisti: * GRAMMATICUS: « Sic magnus ille vir deifer scripto gavisus est, et illud *ut* suum agnovit, ita ut mirabundus laudaret [1]», cum nullo tandem modo valeas ostendere ubinam illa inveniantur in scriptis eius? Et quomodo sanaverit ea explicationibus et additamentis medicinalibus simul et didascalicis celasti; sicca autem verba, sanatione spoliata, tribuis illi et propria ipsius vocas ea, quae ipsius non sunt. Et vide; quid faciemus, cum ad suam impietatem ea ipsa convertat Theodoretus, cui praeclarum in re de duabus naturis testimonium dedisti, dicatque, sicut iam exscripsimus: THEODORETUS: « *Invenimus ea* aperte contraria duodecim capitulis; contra quae usque nunc, ait, utpote aliena a pietate, pugnamus. Illa siquidem habebant carnaliter factum esse carnem Verbum, quod ex Deo *est*, et unionem hypostaticam et conventum secundum unionem naturalem, et Deum Verbum factum esse primogenitum ex mortuis, reiciebant vero divisionem vocum de Domino *dictarum* [2]. »

(* p. 193.)

Nonne necessario recurremus, ut hanc haereticam calumniam confutemus, ad medicinalia et didascalica verba, ut dixi, Cyrilli, quae *formulam* « ex duobus » introducunt, quae unionem hypostaticam demonstrat atque efficit unam esse naturam Dei Verbi incarnatam, et indicat vocum de Domino dictarum, et humanarum, non divisionem sed differentiam agnosci? Et cum oporteret apponeres lucida verba magistri, quae dicunt: « Differentiam autem vocum nullo * modo sustulimus, quamvis abhorrescamus ab illis dividendis, tanquam Filio seorsum, Verbo quod ex Deo et Patre est, rursusque tanquam homini, qui ex muliere, seorsum intellecto filio. Una enim certissime est natura Verbi; scimus autem eam incarnatam et inhumanatam [3]», ea retices minimeque scribis in lamentabili libello tuo, imo ea dolo, quantum potes, abscondis. *Verba* eorum, qui quoad formulam in tenebris fuerunt, profers in medium, spoliata medicinali remedio et didascalica explicatione, et exinde dolose nos reprehendis et astutos vocas, quia diximus quod tanquam peritissimus medicus eximius Cyrillus hac salutari ratione Orientales recepit.

(* p. 194.)

[1] Cfr supra, p. 15. — [2] *P. Gr.*, LXXXIII, 1484. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 193.

Explana ergo nobis utrum iis, qui quoad formulam in tenebris fuerunt, opus non esset viro qui, medici more, albuginem auferret, et duceret, magistri more, in tenebris offendentes. Quomodo autem, cum vides Theodoretum, gravibus et insanabilibus *morbis* laborantem, discipulum ingratum et impium, Cyrillo, magistri more ad Orientales accedenti et *cum illis* balbutienti, ipsius voluntariam et dispensatoriam balbutiem vitio vertentem atque de eo impiissime scribentem: THEODORETUS: « Laudavimus eum, qui linguas balbutientes sanat et verbum deforme in vocem suavem mutat[1]», me reprehendis quod magistri typo usus sim et dixerim ad Orientales sapientem Cyrillum condescendisse et balbutivisse cum illis, velut cum parvulis, ut ad planam vocem deduceret *eos? Erubesce igitur, o impudentissime et indocte, in veritate, quae undique tecum pugnat et cohibet impudentiam oris tui atque ineruditionem tuam, et ipso testimonio adversariorum ostendit velut ad parvulos imperfectos *Cyrillum* ad Orientales, qui in tenebris erant quoad prolationem vocis, medici et praeceptoris more sapienter se demisisse; qui hoc a Deo sibi commissum habuit ut in iudicio, sicut scriptum est[2], sermones disponeret, eosque ad hoc adduxit ut confiterentur unionem ex duobus, unamque confiterentur naturam Verbi incarnatam, non vero duas, post unionem.

* p. 195.

At, quia prorsus iudaeus es, et incircumcisum cor habes, et in litteram, ad instar eorum, oculum tuum figis, neque tibi sufficiunt haec tam manifesta *argumenta*, sed ipsam vocem « condescensio » audire vis, adducam etiam de hoc rursus celeberrimi Cyrilli prorsus idoneum, copiosum et fusum sermonem. Scripsit ergo ad Rufum tunc temporis episcopum thessalonicensem hoc modo: CYRILLUS: « Propter pacem ecclesiarum, et ne hae invicem separentur in dissensiones, condescensiones inutiles non sunt. Forsitan enim quidam, ad communionem non recepti, ex acedia ad aliud quid etiam inviti se convertent. Nam vel haereses pariuntur, et schismata sequuntur, vel etiam tumultus perpetui, cum non patiantur se diutius solito repelli.

[1] *P. Gr.*, LXXXIII, 1484. — [2] *Psalm.* CXI, 5.

Hoc ego considerans, maximo gaudio affectus sum accurentibus Orientalibus et communionem exquirentibus, et praesertim quia opportunissima occasio se dedit, quoniam scripsit *hac de re piissimus et Dei amantissimus imperator. Fuit enim Serenitati eius necessaria cura concordia ecclesiarum. Id spectans tua quoque Perfectio, quae ipsam decuerint curet facienda, itemque omnia quae ad utilitatem ecclesiarum Dei ibi *existentium* spectant. Scripsi ergo de negotio, intendens utilitatem; et tuae Sanctitatis *officium* est *rem* ad exitum ducere. Praestat enim eos poenitentes recipi quam induratos adiungi partibus sectatorum Nestorii[1].»

* p. 196.

En, docuit utilitatem condescensionis causam concordiae et unionis cum Orientalibus fuisse, ne *scilicet* ipsi repulsi minimeque recepti, ad schisma completum declinarent et omnino indurati adiungerentur iis, qui impudenter favent opiniunculis impiis, ineptis et anilibus Nestorii. At forsam etiam postquam haec omnia audieris, ut scriptum est errorem tuum iustificabis et etiam dices: « Bene erit mihi, quia in errore cordis ambulo[2] », et satis vehementer vocem extollens, leges vaniloqui et impii libelli *tui* indocta stultaque verba haec: GRAMMATICUS: « At hesterni et hodierni caupones fidei et nummularii dogmatum dicunt sanctum *Cyrillum* condescensione usum esse. Ad haec quis non claudet aures suas? Etenim mutabilem revera et diverso tempore diversum et eversorem propriae aedificationis contendunt nobis ostendere patrem dogmatum orthodoxorum. Quis enim tanta impietate rapitur ut, ad aliis parcendum seu potius detrimentum inferendum, seipsum etiam in foveam proiciat, *et fidem a fide transferat? Quisnam ex iis, qui recte sapiunt, ad tantam superbiam processit, ut ad unionem cum hominibus habendam semetipsum a Deo separaret?[3] »

* p. 197.

Itaque, in omnibus his sententiis, ignorantia et impietate inebriatus, damnas sapientem Cyrillum, quod se haud absque utilitate condescendisse profiteatur, et magistri more direxerit atque medici more sanaverit eos, qui in tenebris erant quoad ipsam formulam, et quod mutabilis deprehensus fuerit, te

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 221. — [2] *Deut.*, XXIX, 19. — [3] Locum non repperi.

iudice, et gloria humana captus atque fidem a fide transferens. Quodsi nos, qui illum condescendisse asserimus, iuxta indoctas tuas ineptias mutabilem illum dicamus et humanae gratiae studiosum, verbumque fidei quasi tesserarum iactu [1] mutantem; clamet autem ipse se condescendisse et condescensiones agnoscat haud absque utilitate *contigisse*, sed hoc lucratas esse ut non prorsus indurarentur, et tergum verterent deciderentque ad oppositum ii, qui accesserant: colligetur ipsum propria sua voce condemnari, atque ad tuam sententiam se sistere, quae tam acerbe, imo inerudite atque indocte condescensionem damnat. Deinde, consideremus qualem fidem mutaverit magister condescendendo. Nullam et nusquam! Cum autem Orientales voluissent notam nestorianam scriptis retractationis *a se* repellere, et dixissent in illis « duarum naturarum factam esse unionem », ipse effrenationem dualitatis cohibens atque magistri more dirigens, rescripsit ad illos: «Unus enim Dominus Iesus Christus, quamvis differentia naturarum agnoscatur, * ex quibus ineffabilem unionem factam esse dicimus [2]», ita ut iam « ex duobus » proclamato Christo, scirent compositum sola cogitatione separari et usque ad contemplationem *tantum* exhibere duo secundum substantiam diversa, sed post cogitationem unionis, utpote sublata iam sectione in duo, unum Christum ex duobus subsistentem ostendere, unamque hypostasim et naturam Verbi incarnatam.

* p. 198.

Et hoc non, ut dixisti, postquam mutabilis factus est, docuit, sed iam ante condescensionem ad Orientales ubique in iisdem doctrinis et verbis diligentissime expolitis versabatur. Ad hanc etiam *diligentiam* verbum ab Orientalibus minus accurate dictum suo additamento evexit, et effrenationem dualitatis, ut dixi, per *formulam* « ex duobus » cohibuit et sanavit, atque distinctionem vocum explicavit esse differentiam, minime vero divisionem. Statimque videas, quaeso, eum in oratione prosphonetica ad piissimum imperatorem Theodosium haec dicentem: Cyrillus: « Nullo itaque modo decernendum est duo potius dicenda esse post unionem atque singillatim utrumque intelligendum esse; sed sciendum est quod videt quidem intel-

[1] ἐν κύβοις, id est, temere et fortuito. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 180.

lectus aliquam differentiam naturarum, — non enim idem est divinitas ac humanitas, — apprehendit vero simul cum cogitatione circa illa etiam concursum utriusque in unitatem. Itaque ex Deo Patre ortus est ut Deus, ex virgine vero homo. Etenim Verbum illud, quod ex Deo Patre ineffabiliter supraque mentis captum ortum est, * natum dicitur etiam ex muliere, cum descendit ad humanitatem et seipsum demisit ad id, quod non erat, non quidem ut remaneret exinanitum, sed ut Deus esse crederetur, etiam cum in specie nostra apparuit in terris; non ut quod in homine habitavit, sed ut ipsum secundum naturam homo factum, propriam simul suam gloriam etiam servans. Nam divus quoque Paulus ea, quae a mutua consubstantialitate valde removentur et immensa differentia *invicem* distant, divinitatem *scilicet* et humanitatem, congregans in unum secundum dispensationem, et ex ambobus signans unum Christum et Filium et Deum, « Paulus, ait, servus Iesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ex semine David secundum carnem, qui destinatus est Filius Dei in virtute et spiritu sanctitatis [1] ». Ecce manifesto segregatum dicit semetipsum in evangelium Dei, quamvis diserte scripserit: « Non nos ipsos praedicamus, sed Christum Iesum Dominum [2]», rursusque: « Non enim apud meipsum iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum [3]». Nonne haec manifesto et ipsis verbis etiam in epistulis ad Acacium, ad Succensum, ad Valerianum et ad Eulogium scripsit, quas post condescensionem ad Orientales composuit, quod *scilicet*, sola mente separantes, differentiam naturarum videmus, nullo autem modo decernimus dicendum esse duo etiam post unionem et cum apprehendit intellectus simul cum cogitatione differentiae concursum amborum in unitatem, * cumque ea, quae valde removentur a mutua consubstantialitate, connectit atque unum Christum ex utroque confitetur subsistere, unamque eius naturam et hypostasim, tanquam incarnati et inhumanati Verbi? Aut nonne hoc etiam in Scholiis *reperitur*? In Scholio cui titulus « Quomodo oporteat

* p. 199.

* p. 200.

[1] *Rom.*, I, 1-4. — [2] II *Cor.*, IV, 5. — [3] I *Cor.*, II, 2; *P. Gr.*, LXXVI, 1168.

intelligere: Verbum caro factum est et habitavit in nobis; et quomodo missum sit Verbum, cum Deus sit; et quomodo proprium ipsius dicatur corpus[1]», scripsit sic: CYRILLUS: «Naturae autem Verbi et humanitatis differentiam tantum nobis significat diversitas, *quae* inter illas *habetur*; unus enim ex ambobus intelligitur Christus[2].» Itemque in tomo secundo adversus blasphemias Nestorii: «Una enim iam concipitur natura post unionem, ipsius *nempe* Verbi *natura* incarnata, sicut etiam de nobis ipsis convenienter intelligimus. Homo enim revera unus est, compositus ex dissimilibus rebus, ex anima, inquam, et corpore. Porro illud est nunc etiam notandum, dicere nos corpus illud, quod unitum est Deo Verbo, fuisse anima rationali animatum. Illud autem commode etiam addemus: alia quidem est a Deo Verbo ipsa caro secundum propriae suae naturae rationem, alia autem rursus secundum substantiam ipsius Verbi natura. Sed quamvis diversa intelligantur atque in naturalem differentiam a se recedentia ea, quae dicta sunt, unus tamen Christus ex utroque concipitur, unitis inter se secundum veram unionem divinitate et humanitate[3].» RURSUSQUE: «Desine dividere naturas post unionem; etenim, aliud atque aliud esse divinam et humanam naturam scire quidem dico prudentibus viris conveniens et necessarium, — distant *enim inter se, et quidem inaestimabilibus differentiis; — at, ubi de Salvatore omnium nostrum Christo veram et hypostaticam induxeris unionem, recusa divisionem[4].»

* p. 201.

Ubinam ergo sunt mutabilitatis sancti Cyrilli *vestigia?* Quomodo autem non idem apparet, qui aequivocum illud ab Orientalibus dictum «duarum naturarum facta est unio», adduxit ad *formulam* «ex duabus naturis», — nam haec est unio hypostatica, — et usque ad diversitatem secundum substantiam, quae in contemplatione *percipitur,* sectionem in duo eorum, quae in unum congregata sunt, constituit, sed post cogitationem unionis, tanquam sublata iam separatione, quae cogitatione *fit*, ostendit iis, qui non intelligebant et quoad formulam in tenebris erant, unam naturam proclamandam esse Filii incarnatam? Accuratissimae enim veritatis ratio postulasset ut

[1] Cfr *P. Gr.*, LXXV, 1396. — [2] *Ibid.*, 1397. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 60. — [4] *Ibid.*, 92.

Orientales propria voce confiterentur ex duobus unum Filium et Dominum et Deum et Christum *esse*, et secundum hypostasim factam esse unionem Dei Verbi ad humanitatem, supra omnem cogitationem et verbum et comprehensionem, atque unam esse naturam et hypostasim tanquam unius Filii incarnati et inhumanati. Cum autem aegrotarent et requisiti aufugerent, vixque vocem ambiguam, a vaniloquiis Nestorii liberam, posuissent, et dixissent quidem duarum naturarum factam esse unionem, sed non addidissent *unionem* «secundum dignitatem» vel «secundum identitatem nominis» vel «amoris et benevolentiae», *Cyrillus* sicut minister verbi iustitiae et dispensator mysteriorum Dei[1], condescensione usus est; a suis quidem sententiis neque mutatus est, neque quidquam immutavit, imperfectis autem id, quod deerat, adiecit et medici *simul atque magistri more fefellit sensum aegrotantium et haud statim salutaria remedia admovit. Cum autem ad illos scriberet, sapienter iniecit: «Unus enim Dominus Iesus Christus, quamvis agnoscatur differentia naturarum, ex quibus unionem ineffabilem dicimus esse factam[2]»; aliis autem epistulis evolvit virtutem huius *sententiae*; etenim, in *formula* «ex duobus» pendent omnia, atque exinde efficitur tum unio hypostatica, tum unam esse naturam Verbi incarnatam, tum sola cogitatione diversa et heterogenea duo illa intelligendum esse, ex quibus unio *facta est*, iamque duo non esse dicendum post cogitationem unionis.

* p. 202.

Postquam hoc fecerat, et imperfectionem aegrotantium receperat atque sua *verba* adiecerat, cum iniquus Theodoretus ipsique similes opponerent «Symbolum nostrum recepit», sanationi vero seipsos non submitterent, coactus est zelum orthodoxorum placare, et ad Acacium episcopum melitinensem scripsit haec: CYRILLUS: «Quia vero sanctissimi orientales episcopi dissentiebant a nobis Ephesi et suspecti erant quasi irretiti tenerentur laqueis blasphemiarum Nestorii, ideo, et valde prudenter, ab hoc crimine se liberantes et amatoribus inculpatae fidei satisfacere studentes, quia se illius immunditiae expertes esse sciebant, confessionem composuerunt[3].»

[1] Cfr I *Cor.*, IV, 1. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 180. — [3] *Ibid.*, 188.

Et ad illum quidem sic; ad eos vero, qui denuo cucurrerant ad ipsam aegritudinem, graviter et severe locutus est. Nam ad Iohannem, * episcopum antiochenum, in epistula cuius initium est « Dominus meus religiosissimus episcopus Beronicianus epistulam misit ad me, quae missa fuerat ad ipsum a tua Pietate », hoc modo scripsit: CYRILLUS: « Pervenerunt enim ad me nonnulli ex Antiochia casti monachi et significarunt quosdam ex religiosissimis episcopis Phoeniciae loqui in ecclesiis verba stulta et quae ipsis inferunt notam vesaniae Nestorii. Ego autem iis suasi ut, dum anathematizarent suspecti Nestorium dogmataque Nestorii haudque aliter sentirent, potius ipsis satis esset[1].» ET POST ALIA: « Contingat ut pax praevaleat, iis qui Nestorii dogmata seu immunda eius verba anathematizarunt, iam non dicentibus tale quid in ecclesia, ne quidam scandalizentur. At vero apparet etiam Sanctitati tuae quantae insaniae sit quod scriptura quidem ea anathematizent, sed tamen sentiant atque loquantur non solum ad eos, qui ipsis subiciuntur, coetus atque clericos, sed etiam ad alios, ex diversis civitatibus, qui in sacris conventibus inveniuntur. Dignetur ergo tua Sanctitas auferre causam scandali et catholica quadam epistula omnes, qui ipsi subiciuntur, religiosissimos episcopos admonere[2].»

In alia autem epistula, cuius initium est « Iucunda quidem omnibus hominibus pax », ad ipsum haec scripsit: « Magnificus comes Longinus et ornatissima uxor eius ad me scripserunt ecclesias Isauriae conturbari propterea quod qui in ea sunt religiosissimi episcopi et clerici absque timore in coetibus audent *sententias* * Nestorii loqui eiusque vaniloquia propalare[3].» Rursusque ad ipsum, in epistula, cuius initium est « Munus caritatis christianae, scripta tuae Sanctitatis modo accepi », scripsit sic: CYRILLUS: « Advenientes enim a multis diversisque tum episcopis tum monachis afferunt epistulas atque omnes velut una voce castos Ciliciae episcopos accusant quod non tantum recedant a pace quae, Christo adiuvante, contigit sanctis ecclesiis, sed etiam expellant e communitate atque dedecorent excommunicationibus sacerdotes et diaconos et archiman-

[1] Locum non repperi. — [2] Item. — [3] Item.

dritas, quando pro fide in Christo verbum quoddam proferunt. Ego vero non cessavi advenientibus suadere ut taceant, potiusque sustineant, minimeque requirant ut brevissimo tempore perturbatio in ecclesiis excitata componatur, exspectent vero potius rerum restitutionem paulatim procedentem, quam futuram auxilio Dei dicunt, et quae haud procul *abest*[1].» Et ad Dalmatium, presbyterum et abbatem, in regia civitate commorantem, ea de re in epistula, cuius initium est « Dominus meus sanctus et religiosissimus Iohannes, episcopus antiochenus », scripsit sic: CYRILLUS: « Ceterum qui vesania Nestorii abrepti sunt, cum paulatim eruditi fuerint, ad id quod rectum est properabunt; si vero aliquis adversus illos contenderit, plerumque in iis, in quibus versantur, remanebunt[2].»

Haec omnia clarissime ostendunt quomodo ad Orientales aegrotantes accesserit oeconomus spiritualis et dispensator et medicus Cyrillus sapientissimus, et quomodo id tantum, quod damnarent Nestorium * eiusque vaniloquia plurimi fecerit, ex seipso id, quod deerat, complens, itemque quomodo disponens sermones suos in iudicio, ut scriptum est[3], convenienter pro modo uniuscuiusque ex personis, accesserit, id quod rectum erat nusquam perturbando, sed imperfectos ad id paulatim adducendo, perfectisque suadendo ne aegre ferrent dispensationem condescensionis, dum considerarent commoda vinculi pacis atque congregationis membrorum corporis Christi.

CAPUT UNDECIMUM

Quod etiam Basilius et Gregorius et synodus CL *Patrum*, sicut sapiens Cyrillus, illaesa fidei rectitudine, quoad accuratas voces condescensione usi sunt, dirigendo imperfectos et sanando infirmos, non vero mendaciter assumendo speciem medici, sicut haeretici. Et quod peccavit immundus iste, qui ex impietate quidem mutabilitatem nominavit condescensionem, ex ignorantia autem dispensationem vocavit theologiam.

Hanc autem esse egregiam regulam prudentis institutionis et apostolici regiminis, male intelligentes non statim aggredi

[1] Locum non repperi. — [2] Item. — [3] *Psalm.* CXI, 5.

sed lento profectu corrigere et ad perfectionem evehere, non autem mutabilitatem et mercaturam, quemadmodum indoctum criminationis verbum Grammatici contendit, testimonia Patrum confirmant. Nam Gregorius Theologus, in oratione de * p. 206. * Pentecoste sic scripsit: GREGORIUS: « Spiritum sanctum qui in creaturarum ordinem deiciunt, contumeliosi sunt et servi mali atque malorum pessimi. Malorum enim servorum est spernere dominationem[1] et adversus illam exsurgere et sibi conservum facere id, quod liberum est. Qui autem Deum *eum esse* censent, divini et praeclara mente praediti; qui vero etiam appellant, si apud probos, sublimes, sed si apud abiectos, imprudentes sunt, nam luto margaritam committunt, et imbecilli auditui sonum tonitrui, et infirmis oculis solem, et solidum cibum iis, qui adhuc lac bibunt, cum conveniat eos paulatim promovere ulterius, lumini lumen largiendo ac veritati veritatem suppeditando[2].»

Et his dictis, ipse incipit eiusmodi dispensationem et sanationem *adhibere,* vocem « Deus » de Spiritu sancto concedens et pergens in eadem oratione dicendo: GREGORIUS: « Fraternae potius quam propriae dilectioni studeamus. Date vim divinitatis et dabimus vobis veniam vocis. Confitemini naturam aliis, quam magis probatis, vocibus et ut infirmos vos curabimus, nonnulla vobis grata suffurantes[3].» Numquid ergo, o ineruditissime et omni ignorantia plene, huic quoque Patri theologo, qui dixit « ut infirmos vos curabimus », et quidem *eos* curavit, inferes criminationes a Basilio ad monachos in Eurobine et Chalane *degentes scribente* iis *illatas,* qui tunc pro temporum * p. 207. ratione * mutabantur, *et* sic scriptas: BASILIUS: « Sed habent astutum quid ad tales suas mutationes *explicandas,* quod nempe verbis fidei, velut medici, pro tempore utantur, alias aliter sese ad grassantes morbos accommodantes. Cuius sophismatis imbecillitatem non me decet arguere, sed vos intelligere; dabit enim vobis Dominus intelligentiam[4], ut cognoscatis quodnam sit rectum verbum, quodnam autem distortum atque perversum. Si enim aliis temporibus alias fidei confessiones scribere decet

[1] IUD., 8. — [2] *P. Gr.*, XXXVI, 437. — [3] *Ibid.* — [4] II *Timoth.*, II, 7.

et *eas* cum temporibus immutari, falsa est sententia dicentis « Unus Dominus, una fides, unum baptisma[1].»

Sed si non esses ineruditus, prorsus gustu carens rerum divinarum, illotisque pedibus nescio quomodo eas conculcans, et tanquam porcus margaritas calcans, scires magnum Basilium illa scripsisse quin typum medici contemneret; scripsisse vero contra adversarios, qui adulterabant virtutem ipsius typi, et medicorum curas non adhibebant ut alios aegrotantes sanitati restituerent, sed iis, qui varie aegrotabant, morbum a morbo immutabant, et diversis temporibus aliam atque aliam abominandam fidem in synodis definiebant et conscribebant, et post mutationes multas et diversas quandoque etiam ad unam et solam definitionem CCCXVIII sanctorum Patrum Nicaeae congregatorum confugiebant, rursusque illam despiciebant, si in aliam quamdam potestas temporum declinasset.

Videas enim quomodo dixerit: BASILIUS: « Si enim temporibus * aliis aliam atque aliam fidem scribere decet et cum temporibus immutari[2]», et paulo ante exemplum appositum, in hac ipsa epistula: « Isti ergo etiam de nicaena fide detrahunt et homoousiastas nos vocant[3]»; rursusque: « Est autem nicaena fides, ab ipsis ex Occidente allata, quam tradiderunt synodo tyanensi, a qua et suscepti sunt[4].» Hoc ipsum fusius deridet etiam in epistula quam scripsit ad Thasianos, sic: « Fides apud nos, non alia Seleuciae, alia Constantinopoli, alia Zelis, alia Lampsaci et Romae alia, nec quae nunc circumfertur aliter *se habet* ac priores, sed una eademque; quemadmodum enim accepimus a Domino, sic baptizamur; quemadmodum baptizamur, sic credimus; quemadmodum credimus, sic et glorificamus[5].» * p. 208.

Quid igitur tale fecerunt Gregorius et Cyrillus, qui dixerunt se condescendisse et sanavisse? Aut quomodo, sicut ii, qui reprehenduntur a sapiente Basilio, medici typum mendaciter usurparunt? Numquid in aliquo discesserunt a sanitate sua, aut diversas fidei definitiones scripserunt? Minime; imo, ille saepius quidem quam spiritum trahebat, Deum vocabat Spiri-

[1] *Ephes.*, IV, 5; *P. Gr.*, XXXII, 848. — [2] *Ibid.* — [3] *Ibid.* — [4] *Ibid.* — [5] *P. Gr.*, XXXII, 937.

tum sanctum et claudicantes quoad hanc confessionem aliis verbis opportune confiteri sinebat aequalitatem dignitatis Spiritus ad Patrem et Filium, donec paulatim deducerentur ad perfectionem. Dicebat etiam * ad illos in eadem oratione: GREGORIUS: « Neque vos incusetis nos sublimioris vocis causa, — nulla enim est invidia ascensus, — neque nos de pervia vobis *voce* tamdiu crimen inferemus, quamdiu etiam per aliam viam ad idem hospitium venietis. Non enim vincere quaerimus, sed ad nos assumere fratres nostros, quorum separatione dilaceramur[1].» Hic autem facile recedebat a suis propriis *formulis*, sive a proclamando ex duabus naturis uno Christo, sive a praedicanda coniunctione, secundum unionem naturalem, divinitatis et humanitatis ex quibus Emmanuel et ab eadem vocanda unione hypostatica, sive a profitendo unam esse naturam Verbi incarnatam. Quapropter etiam Orientales, qui dixerant duarum naturarum factam esse unionem, ad illas formulas deducebat, docebatque usque ad contemplationem mente tantum separare et agnoscere duo quaedam esse secundum substantiam diversa ea, quae coniuncta sunt, sed post cogitationem unionis, tanquam sublata iam sectione in duo atque non confusis iis, ex quibus unio, minimeque cessante differentia secundum substantiam, confiteri unam naturam Filii incarnatam et inhumanatam. Toleravit quidem infirmitatem claudicantium et non postulavit ut profiterentur voces perfectas, ne refugerent a sanatione; salutari vero ratione adduxit ipsam imperfectionem ambiguae confessionis eorum ad id, quod ipse curae habebat.

Id autem magistrorum esse, non vero malorum cauponum, sicut censuit Grammaticus, qui barbarus est * et alienus a legibus civitatis Dei, id est, Ecclesiae, confirmat etiam sapiens Iohannes, episcopus constantinopolitanus, qui in oratione tricesima commentarii evangelii Iohannis scripsit sic: IOHANNES: « Haec autem dico ne ea, quae inveniuntur in Scripturis, negligamus, sed et dicentis scopum et infirmitatem audientium et alia multa, quae in illis *sunt*, consideremus. Etenim non omnia ut ipsi vellent doctores loquuntur, sed sicut habitus aegrotantium postulat. Quapropter Paulus quoque dixit: « Non

* p. 209. * p. 210.

[1] *P. Gr.*, XXXVI, 440.

potui loqui vobis sicut spiritualibus[1]». Volebam quidem, sed non potui; non quia ipse non poterat, sed quia illi non poterant audire[2].»

At ipse quoque sanctus Basilius, cuius verbis putasti te adversus nos armari, o indocte, qui condescensionem et dispensationem salutarem sapientis Cyrilli mutabilitatem et cauponis agendi rationem vocas, videtur usum esse hoc ipso modo dispensationis et propter imbecillitatem audientium reticuisse vocem « Deus » de Spiritu sancto, aliisque vocibus idem valentibus doctrinam paravisse et ostendisse consubstantialitatem et aequalitatem dignitatis sanctae Trinitatis; neque tamen caupo erat, neque mutabilis, qui hoc egit. Quod de illo dixit fuse, in eius oratione funebri, Gregorius Theologus sic: GREGORIUS: « Disponere vero sermones suos in iudicio[3], necessarium esse iudicabat, divino Davide hac de re consiliario * usus, et paulisper belli tempus refugere atque violentiam haereticorum, quoad tempus libertatis et serenitatis successisset et linguae libertatem attulisset. Illi enim studebant arripere de Spiritu nudam vocem, quod Deus esset, — quod quidem, etsi verum erat, ipsis tamen impietas videbatur itemque perverso impietatis constitutori, — ut eum quidem cum theologica lingua civitate pellerent in exsilium, ipsi autem ecclesiam occupantes eamque propugnaculum malitiae suae efficientes, exinde velut ex arce quadam quidquid relictum erat popularentur. At ille, aliis verbis scripturisticis et testimoniis indubiis idem valentibus necessariisque syllogismis ita comprimebat adversarios ut nullo modo possent resistere, sed propriis vocibus constringerentur, quae maxima est virtus sermonis et prudentia. Id autem ostendet ea quoque oratio, quam de hoc *argumento* scripsit, quasi ex atramentario Spiritus calamum movens; interim tamen a propria voce abstinebat, ab ipso Spiritu et a sinceris eius propugnatoribus hanc gratiam petens, ne scilicet dispensationem indignarentur nec, dum unius vocis curam sollicite gererent, omnia perderent propter inexplebilem cupiditatem, tempore iam pietate distracta. Ipsis enim nullum fit detrimentum paulisper mutatis verbis, et aliis vocibus idem docentibus;

* p. 211.

[1] I *Cor.*, III, 1. — [2] *P. Gr.*, LIX, 174. — [3] *Psalm.* CXI, 5.

non enim in verbis potius quam in rebus salus nostra consis-
tit. Etenim ne Iudaeorum quidem populus reiciendus esset si,
vocem «Unctus» loco *vocis* * «Christus» requirentes, consen-
tirent nobis apponi, communitati vero maximum fieret detri-
mentum, Ecclesia *ab haereticis* occupata. Quod autem melius
quam quivis alii agnosceret ipse Spiritum *esse* Deum, constat
quidem ex eo quod palam hoc saepe praedicavit, quando per
tempus licebat, et privatim apud eos, qui ipsum interrogabant,
alacriter confessus est; apertius autem id fecit in suis ad me
sermonibus, ad quem de his rebus communiter loquentem nihil
occultum habuit. Neque simpliciter hoc dicebat sed, quód antea
plerumque non fecerat, maxime horrendam rem sibi imprecatus
nempe, ut ab ipso Spiritu excideret, nisi coleret Spiritum cum
Patre et Filio, tanquam consubstantialem et honore parem[1].»

Confirmat autem testimonium Gregorii Theologi dum ipse
manifesto ostendit, in libro syllogismorum adversus Euno-
mium, se consubstantialem agnoscere sanctam Trinitatem et
Deum confiteri Spiritum sanctum. Scripsit enim sic: BASILIUS:
« Quae communia sunt Patri et Filio, haec communia sunt
Spiritui, quia quibus characteribus designatur Deus Pater et
Filius in Scriptura, iisdem designatur Spiritus sanctus. Ex
quibus colligitur eiusdem divinitatis ac Patrem esse Spiritum.
Quod ea, quae Patri et Filio tantum adsunt ut Deo, soli etiam
Spiritui adsunt, non autem et creaturae, sicut nomina et res,
quae non communicantur creaturae, soli Trinitati sunt commu-
nia; exinde colligitur consubstantialem esse Trinitatem[2].» ET
POST ALIA: « Itaque, si nullius est remittere peccata, sicut sane
nullius est, nisi Dei solius, remittit autem Spiritus * sanctus
per apostolos; Deus ergo est Spiritus sanctus et eiusdem effi-
cacitatis atque Pater et Filius[3].»

At, qui haec et theologice disserebat et accurate scribebat,
ubi res postulabat condescensionem pluris faciebat quam accu-
rationem *in verbis*, atque dispensatorio, salutari et prudenti
modo disponebat sermonem; qua etiam mente in epistula ad
Evagrium presbyterum scripsit haec: BASILIUS: « Etenim,
essemus profecto absurdissimi omnium hominum, si schisma-

[1] *P. Gr.*, XXXVI, 588. — [2] *P. Gr.*, XXIX, 712. — [3] *Ibid.*, 717.

tibus et divisionibus Ecclesiae oblectaremur, nec coniunctio-
nem membrorum corporis Christi maximum bonorum ducere-
mus. At quantum nobis inest desiderii, tantum scito nos virtute
destitui. Non enim latet perfectam tuam Prudentiam mala,
quae tempore corroborata sunt, primum quidem tempore indi-
gere ad correctionem, postea vero forti ac firma tractatione,
si quis velit ad imum pertingere, adeo ut radicitus evellat
morbos aegrotantium[1].»

Et quid mirum quod Basilius eo tempore quo praevalebant
haeretici, aperte aggredientes atque machinantes, dispensatoria
agendi ratione usus sit ad illos, et humilem, dispensativum
atque condescensione plenum sermonem praetulerit, ab accu-
ratione abstinendo et opportunam libertatem exspectando,
cum centum et quinquaginta Patres sancti, qui totam synodum
efformabant, post haereticam caliginem totamque hanc pertur-
bationem cum serenitas illuxisset iustaque maiestas apparuis-
set, dedissetque orthodoxiae facultatem * omnia absque ullo
timore praedicandi, accurationi *tamen* condescensionem et
demissionem praetulerint? Et quia nonnulli supererant infir-
mi, qui sanas quidem sententias de Spiritu sancto in mente
habebant, eumque neque creaturam dicebant, neque dissimilem
Patri et Filio, sed coaeternum et eiusdem gloriae atque virtutis,
quos tamen taedebat Deum illum confiteri aut consubstantialem,
Patres infirmitati eorum indulserunt, quin pietatem laederent,
et imperfectionem ope condescensionis ad se assumpserunt et
lucrati sunt; et haec quidem, cum in nullo alio puncto defini-
tionem fidei trecentorum decem et octo sanctorum Patrum
absque mutatione ampliare conarentur nisi quoad declaratio-
nem de Spiritu sancto, contra quem blasphemando iniquus
Macedonius talia furens protulerat qualia insania Arii contra
Filium. Etenim, verbis idem valentibus utentes, dixerunt:
« Credimus et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem,
qui ex Patre processit; qui cum Patre et Filio adoratur et
glorificatur[2]», sed neque « Deum » dixerunt, neque « consub-
stantialem », ne infirmum auditum eorum averterent. Attamen,
esse Dominum atque participem eiusdem dominationis et gloriae

[1] *P. Gr.*, XXXII, 613. — [2] MANSI, t. III, col. 565.

et adorationis cum Patre et Filio utique est et ex eadem substantia et divinitate esse; qui enim alius est secundum substantiam non habet participationem gloriae divinae, ipso Deo per prophetam manifesto dicente « Gloriam meam alteri non dabo[1].» Verum, propter eos, qui perturbabantur de accuratione verborum, ad hanc salutarem et benignam tractationem morbi * sapientes Patres devenerunt, qua tota Ecclesia disceret, per accessus agnitionis paulatim contingentis, Spiritum sanctum confiteri Deum consubstantialemque Patri et Filio.

* p. 215.

At Grammaticus, qui superbit in ignorantia, percussus in capite ingenti superbia et velut ex delphico tripode ad arbitrium suum nobis oracula edens, audensque, sicut ipsius pater diabolus, auctor mendacii, Scripturas sacras vane usurpare, circa finem lamentabilis libelli sui iis, quae iam antea circa condescensionem effutivit, etiam haec exspuens et effutiens addit, dum optimum et suae ineruditionis dignum finem vano et anili suo zelo imponit: GRAMMATICUS: « Haec autem dicimus, non ubique condescensionis negotium reicientes, sed ubi in doctrinis circa Trinitatem et incarnationem Verbi Dei *adhibetur*. Ecce enim Petrus, petrae homonymus, ceterique apostoli, qui erant ex circumcisione, ad breve concesserunt servari praecepta Legis, condescensione utentes erga Iudaeos, nihil detrimenti exinde accipiente praedicatione. Iste vero blasphemiam in theologiam condescensionis nomine designat. Et haec quidem ad insaniam illius *manifestandam* arbitror sufficere, nam ex unguibus malam vobis bestiam depinxi. Investigare vero minutatim *assertiones* scripti eius praetermitto, cum hoc necessarium non censeam; scriptum est enim « Da sapienti occasionem et sapientior evadet; doce iustum et addet accipere[2]».

* p. 216.

Blasphemarunt igitur, iuxta decreta tua, sancti Basilius et Gregorius, itemque synodus centum et quinquaginta *Patrum*, qui circa theologiam de Spiritu sancto condescensionis modum praetulerunt et per illam aegrotantes lucrati sunt, atque per circuitum verborum comprehensibilium ad celsitudinem accurationis denique eos evexerunt, qui hucusque impares erant,

[1] ISAI., XLII, 8. — [2] *Proverb.*, IX, 9; locum Grammatici non repperi.

etsi neque creaturam esse dicebant, neque Patri dissimilem Spiritum sanctum. Quomodo igitur, o insensate, condescendendo, sanando et dispensatione utendo blasphemarunt? Quomodo autem peccaverit in incarnationem Verbi eximius Cyrillus explica; qui dixit se condescensione usum esse ad Orientales, qui quoad formulam enuntiationis dogmatis in tenebris erant et duce medicoque indigebant; quos etiam ad veritatem adduxit et evexit, id est, ad confitendum ex duobus unum Dominum et Deum et Filium Iesum Christum, quod synodus chalcedonensis respuit. Quomodo autem non animadvertis te ubique frustra garrulare et omne, ut ita dicam, verbum inconsiderate loqui? Postquam enim sursum deorsum me reprehendisti, quasi male dixissem condescensione ad Orientales usum esse sanctum Cyrillum reprehensionem absolvens dixisti: « Iste vero blasphemiam in theologiam condescensionis nomine designat[1].» Atqui, o re vera blasphemator et idiota, inter sapientem Cyrillum et Orientales non theologia, sed dispensatio erat divisionis materia, nam incarnationem et inhumanationem Unigeniti sanctae Ecclesiae doctores vocant dispensationem, non theologiam.

* p. 217.

* Testis est Gregorius Theologus qui, in oratione de nativitate, paululum ab argumento suo digressus, de divinitate locutus est et scripsit: GREGORIUS: « Haec nunc de Deo philosophice dicta sint; neque enim tempus est ad plura, cum non theologia sit nobis propositum *argumentum*, sed dispensatio[2].» Etenim sermo de nativitate Domini secundum carnem dispensatio est, non theologia, quamvis etiam tanquam de Deo sermo fiat semper de Christo vel incarnato, quia quidquid erat mansit, etiam postquam homo factus est; quapropter ea quoque, quae naturaliter soli Deo conveniunt, operatur; sic enim et magnus Paulus, ad Ephesios epistulam mittens, scripsit: « Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit[3].»

Oportebat ergo diceres, o indocte, si male dixeram eximium Cyrillum condescensione ad Orientales usum esse, idque tibi

[1] Locum non repperi. — [2] *P. Gr.*, XXXVI, 320. — [3] *Ephes.*, III, 8-9.

blasphemia videbatur: « Iste vero blasphemiam de dispensatione condescensionis nomine designat.» Quomodo igitur cum vel circa ista minima, praeter doctrinarum impietatem, prorsus indocte et misere te habeas, superbis et vane gloriaris, dicisque quod me, malam bestiam, ex unguibus depinxisti? Quis 5 enim non irridebit infirmitatem fabularum tuarum, quae bullarum instar ex indocto ore tuo erumpunt rursusque in correptionem inaniter loquentis convertuntur? Quis non dolebit de * p. 218. te qui, postquam * praeda daemoniorum factus es, et iudaicis retibus vesaniae chalcedonensis constrictus atque, ut ait Paulus, 10 laqueo diaboli captus ad ipsius voluntatem [1], temetipsum putas extra laqueos constitui et venatorem te esse gloriaris? Plurimum, o bone, nos adiuvisti, qui ludibria tua revelasti et in libro tradidisti, ut discant omnes totum hoc artificium cogitationum tuarum, e quibus evadere non est, itemque quibus 15 verbis confidant ii, qui patrocinantur synodo chalcedonensi.

CAPUT DUODECIMUM

Quod sibi ipsi adversari videtur impius dicendo condescensionem vocandam non esse coniunctionem cum Orientalibus simulque asserendo illos in tenebris fuisse atque noluisse confiteri unam naturam 20 Verbi incarnatam. Quod ipse, pollutis suis verbis, mutabilem ostendit sanctum Cyrillum, nos quasi id faceremus inculpans, quodque, dum audacter effatum epistulae ad Eulogium perperam interpretatur, differentiam substantiae naturarum, ex quibus unus Christus, causam iactat sectionis in duo. 25

Ecce enim sicut ii, qui praecipitantur in profundum, huc illucque deiceris. Postquam decrevisti non condescendisse ad Orientales sanctum Cyrillum, scripsisti Orientales unam naturam Dei Verbi incarnatam noluisse dicere, ideoque eos in tenebris fuisse sapientem Cyrillum, cum ad Eulogium scriberet, 30 dixisse. Placet autem ineptias [2] miseriae tuae apponere; mihi enim convenit ut congregem ea, quae sparsim reperiuntur, invicemque offendunt et inter se pugnant, atque eadem saepis-* p. 219. sime revolvuntur sed stare nunquam possunt: * Grammaticus:

[1] Cfr II *Timoth.*, II, 26. — [2] λογίδια.

« Sed forsan dicent: Ecce quoad formulam dixit illos tenebris offusos fuisse. Iamvero, si rectum esset dicere in duabus naturis Christum, non diceret eos tenebris offusos fuisse. A talibus autem cavere oportet magis quam illos recipere. Perspiciendum 5 est ex iis, quae praesto sunt, quomodo semper sensum dictorum dilacerent et breves quasdam voculas expiscentur, quae a scopo eorum, qui eas dixerunt, removentur. Etenim, non quoad hoc, quod duas naturas confiterentur, dicit eos in tenebris fuisse, — nam insaniae, et quidem haud parvae, esset eadem laudare 10 et vituperare. Sed quia Orientales, duas naturas in Christo esse proclamantes, unam naturam incarnatam dicere non consentiebant, sed diu contendebant et formulam recusabant, eaque ipsis suspecta erat, ita ut multam exinde defatigationem toleraret beatus Cyrillus, qui patrocinium formulae suscipiebat 15 eamque illustrabat, sicut in epistula secunda ad Succensum significat, ideo, cum eorum litigationem videret, dixit illos in tenebris esse, non propter confessionem ipsorum, ut dictum est, sed quia nesciebant dicere unam naturam Verbi incarnatam. Recte autem a se praedicari hanc formulam, eiusdemque esse 20 virtutis, significat diserte, sic dicendo, — iterum enim illa citabo: « Sed unus iam *existit* Filius, unaque Verbi natura, tanquam incarnati. Haec confessi sunt Orientales, licet quoad ipsam formulam paulisper tenebris offusi fuerint [1].» Illi, ait, confessi sunt nostras *sententias* et ad eamdem mentem devene-25 runt, licet aliis verbis *utendo* tenebris offusi fuerint et non intellexerint nostram formulam eadem * ac ipsi sibi velle. * p. 220. Itaque non reicit assertionem duarum naturarum, sed confessionem unius *naturae* incarnatae, carne praedita anima rationali, postulat. Vos autem adhuc et nunc tenebris offundimini, 30 dum Orientales illuminati sunt et utramque formulam aeque et recte confitentur [2].»

His ergo nobiscum confessus es in tenebris tunc Orientales fuisse, quia nolebant confiteri unam esse naturam Dei Verbi incarnatam. Quapropter, cum symbolum condidissent hac for-35 mula destitutum, sapiens Cyrillus *id* toleravit. Quomodo igitur id faciendo non condescendit, ut illos tenebris offusos diri-

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 225. — [2] Locum non repperi.

geret, imo, iuxta verbum tuum, obcaecatos sanaret? Quomodo ut caupo atque mutabilis non apparuit, cum symbolum eorum, hac voce principali destitutum, recepit? Etenim, scripsisti in hoc impio libello etiam haec: GRAMMATICUS: « In hac enim epistula adversus eos tantum pugnat beatus Cyrillus, qui non 5 annuunt dicere unam naturam Dei Verbi incarnatam, sed solummodo *formulam* « in duabus *naturis* » recipiunt, quae malae confessionis indicium est, si altera confessione destituatur, ut ostensum est[1].» RURSUSQUE: « Papae, audaciam adversariorum! Si enim duas naturas diceremus, minimeque proclamaremus 10 alteram formulam, *nempe* unam naturam esse Verbi incarnatam, causam haberent inculpationes eorum[2].» ET ITERUM: « Quapropter beatus Cyrillus et eos, qui duas naturas de Emmanuele dicunt, recipiebat, cum haereses Apollinarii fugeret, rursusque assertionem unius naturae Dei * Verbi incarna- 15 tae profitebatur, propter sectionem Nestorii. Cum enim utrumque proclamatur, indicium habetur rectae sententiae; cum vero una confessio reicitur, mala suspicio haereseos oritur[3].»

* p. 221.

Vesaniae igitur, ut dixisti, habetur signum in epistula Orientalium, quae destituitur confessione quae proclamat unam esse 20 naturam Dei Verbi incarnatam; suspicione quoque malae haeresis, ut dixisti, contaminabatur. Cur ergo recepit hanc vesanam epistulam? Et si vesana sit, quomodo non tibi ipsi oppositus rursus deprehenderis, qui scribis dicens « Verba eorum ut sua agnovit sapiens Cyrillus »? Recordare enim haec splendida 25 *tua* verba: GRAMMATICUS: « Sic magnus ille vir deifer scriptis gavisus est, et illa *ut* sua agnovit, ita ut mirabundus laudaret, illudque auditu dignissimum initium faceret « Laetentur caeli et exsultet terra[4] ». Vere dicto gaudebat, nesciebatque quomodo iucunditati indulgeret[5].» 30

Et quomodo proditione fidei et adulteratione verborum, ut dixisti, gauderet? Nos enim et reprehendemus eum et ipsis verbis tuis crimen ei inferemus. Nam quomodo scriptum Orientalium recepit, in quo, ut dixisti, indicium vesaniae habetur, quia destituitur confessione unius naturae Verbi incarnatae, 35

[1] Locum non repperi. — [2] Item. — [3] Item. — [4] *Psalm.* XCV, 1; cfr *P. Gr.*, LXXVII, 173. — [5] Locum non repperi.

quodque exinde malam suspicionem ingerit haereseos, ut tibi placet dicere, *scilicet* sectionis nestorianae, cuius causa, ut dixisti, confitebatur unam naturam esse Verbi incarnatam? * Cur ergo gaudentem illum producis, cum eum erubescere 5 oportuisset? Itaque opportunissime verba tua in insipiens caput tuum retorquebuntur; tua adversus te dicemus, quae sunt haec: GAMMATICUS: « Mutabilem revera et diverso tempore diversum, et eversorem propriae aedificationis contendis nobis ostendere patrem dogmatum orthodoxorum. Quis enim tanta 10 impietate rapitur ut, ad aliis parcendum seu potius detrimentum inferendum, seipsum etiam in foveam proiciat, et fidem a fide transferat? Quis ex iis, qui recte sapiunt, ad tantam superbiam processit ut, ad unionem cum hominibus habendam, semetipsum a Deo separaret?[1]»

* p. 222.

15 Animadvertisne quomodo desipias et ad quem amentiae lusum dilabatur vaniloquium tuorum verborum lamentabilium et imprudentium? Itaque, ipse quidem confusionem exinde accipe, et merito quidem; Cyrillus vero Spiritu sapiens, qui munus non accepit, neque pro humana gratia fidem vendidit, 20 sed medicus sapiens et magister fuit, qui confessione Orientalium gavisus est, quod unum eundemque confessi essent Filium Dei Christum Iesum, et Dei genitricem sanctam Virginem, minimeque adiecissent hominis genitricem, — quemadmodum Theodoretus, iisdem ac Nestorius *erroribus* laborans, conten- 25 debat dicere, itemque qui cum ipso communicabant, in reprehensionibus quas scripsit contra duodecim capitula, quae calumniose infamia notavit, — *Cyrillus, dico,* his gavisus et laetatus est, quia dixerant « Duarum enim naturarum facta est unio[2]», non vero « secundum homonymiam », neque « secundum aequa- 30 litatem honoris », neque « una persona et una * filiatio ». Attamen, cum ambiguam reliquissent unionis confessionem, ipsi locum dederunt eam adducendi ad unionem veram et hypostaticam, inserendo iis, quae ad eos scripsit, *formulam* « ex duobus », et clare detectaque fronte praedicandi: CYRILLUS: 35 « Unus enim Dominus Iesus Christus, quamvis differentia naturarum agnoscatur, ex quibus unionem ineffabilem dicimus esse

* p. 223.

[1] Locum non repperi. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 172.

factam[1].» Exinde enim efficitur unam esse naturam Filii incarnatam et inhumanatam, ita ut subtili tantum contemplatione et separatione secundum cogitationem et velut subtilibus phantasiis intellectus, percipiamus duarum naturarum factam esse unionem, sed post cogitationem unionis, tanquam sublata iam et desinente sectione in duo secundum cogitationem *facta*, minime confusa differentia eorum, quae in unum congregata sunt, quia in compositione, non vero in propria sua subsistentia subsistunt, unum, qui ex duobus, et Deum et Filium et Christum et Dominum credamus esse, firmiterque admittamus, idque, quod post confessionem verae unionis, cogitatio etiam in dualitate remaneat, eorum sit, qui tenebris offunduntur, idemque dicunt esse uniri et non uniri.

Idque magistrum audire est manifesto clamantem in epistula ad Eulogium: CYRILLUS: « Incita[2] autem illos ut attendant lectioni epistulae beati papae Athanasii. Disputantibus enim ibi nonnullis atque dicentibus ex propria sua natura Deum Verbum transformasse sibi corpus, omni ratione asserit non consubstantiale Verbo esse corpus; quod si consubstantiale non est, alia omnino atque alia habetur natura, ex quibus unus et solus concipitur Christus. Nec illud ignorent: Ubicunque nempe unio * nominatur, non unius rei nominatur coniunctio, sed duarum vel plurium et inter se secundum naturam differentium. Si igitur unionem dicimus, confitemur *unionem* carnis anima rationali praeditae et Verbi, et ii, qui duas naturas dicunt, ita intelligunt. Attamen, unione iam asserta, non amplius a se separantur quae sunt unita, sed unus iam *existit* Filius, unaque natura Verbi tanquam incarnati. Haec confessi sunt Orientales, licet quoad ipsam formulam paulisper tenebris offusi fuerint[3].» Cuinam inter eos, qui sunt sapientia honestissimi vel impudentissimi, illa nota manifestaque non sunt, *scilicet* ea, quae coniuncta sunt, aliud atque aliud solummodo concipi secundum differentiam substantiae, et heterogenea minimeque consubstantialia inter se esse ea, quae concurrerunt in unum; rursusque non ideo quia singillatim subsistant sintque in propria subsistentia, dici aliud atque aliud,

* p. 224.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 180. — [2] Videtur interpres legisse παρασκευάσαι pro παρεσκευάσθαι. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 225.

siquidem unus ex utroque est Christus? Manifesto enim dixit magister, perfectam et omnimodam diversitatem cohibens, camque stabiliens usque ad differentiam secundum substantiam: CYRILLUS: « Non consubstantiale Verbo est corpus; quod si consubstantiale non est, alia omnino atque alia habetur natura, ex quibus unus et solus intelligitur Christus[1].» Sic etiam supra adduxi[2] cum in Scholiis haec dicentem: « Naturae ergo Verbi et humanitatis differentiam tantum nobis significat diversitas, quae inter illas *habetur*; unus enim ex ambobus intelligitur Christus[3].»

Cum ergo ii, qui in Chalcedone congregati sunt, reiecerint formulam « unus Christus ex duobus », quae sola cohibet omnimodam sectionem, ubinam locum tibi praebet audacia, * o Grammatice, adducendi aliud atque aliud ad hoc ut duas naturas dicas post unionem, et differentiam secundum substantiam assumendi ut causam ad hoc ut dividas in duo unum eum, qui ex duobus subsistit, atque decidas in dualitatem filiorum et christorum? Aliud enim atque aliud esse ea, ex quibus *est* Christus, etiam Gregorium Theologum audivimus scripsisse ad Cledonium. Quod si solverimus formulam « ex quibus », dicendo duas naturas post ineffabilem unionem, seorsum et singillatim subsistentes naturas introducemus, iamque non aliud atque aliud ea, ex quibus una natura et hypostasis Filii incarnati et inhumanati, sed alius atque alius invenientur, Deus et homo secundum hypostases separati. Sic enim etiam adversus Diodorum, qui diversitatem naturae eorum, quae in unum ex his *constitutum* Emmanuelem coniuncta sunt, causam efficiebat absolutae diversitatis et perfectae sectionis, exsurgit sapiens Cyrillus et dicit: CYRILLUS: « Hic autem rursus, quia neque caro, secundum rationem qualitatis naturalis, est Unigenitus neque Verbum mutatum est in carnem, perperam dividit et alium atque alium esse ponit, duosque filios confitetur, quibus vix habitudinis coniunctionem tribuit. Aut forsan suspicatur quosdam erraturos, quia neque carnem perducunt per mutationem ad naturam Verbi, neque versa vice ipsum Verbum demittunt ad consubstantialitatem carnis ipsi unitae[4].» ET POST

* p. 225.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 225. — [2] Cfr supra, p. 140. — [3] *P. Gr.*, LXXV, 1397. — [4] PUSEY, t. III, p. 501.

* p. 226. ALIA: « At minime ignotum est te audere eos, qui tenent rectam fidem, increpare et, dum adversus eos, qui inconfusam confitentur unionem, exsurgis, non erubescere, et sursum deorsum omnia commovere, et alterius naturae ostendere carnem esse, dico quoad Deum Verbum. Si quis vero tecum hoc confessus 5 fuerit, dum ab ignorantia Synousiastarum recedit, statim unum *Christum* dividis in duo [1].»

Quomodo igitur, o miserrime, differentiam secundum substantiam et hoc, quod separentur secundum rationem qualitatis naturalis illa heterogenea quae ineffabili prorsus modo in unum 10 concurrerunt, ad unam ex duobus absolvendam naturam et hypostasim Verbi incarnatam, attrahis ad diversitatem propriam et dicis duas naturas post unionem, scribisque de sancto Cyrillo, perinde ac si validum quid scriberes, ignorans tamen quod dicis: GRAMMATICUS: « Neque recusat dicere duas naturas; 15 alia enim est Verbi et alia carnis *natura* [2]»? Tantum enim abest ut recuset nominare duas naturas, ut etiam dicat: unio non duarum rerum tantum, sed plurium nominatur coniunctio, quae inter se differunt secundum naturam; et ii, qui dicunt quod dixi, et Orientales, duarum naturarum factam esse unio- 20 nem ita intelligunt. Cum enim sola mente separatur id, quod compositum est, intelligenda praebet duo ea, ex quibus unum coalescit; at vero, unione semel asserta, non amplius separamus ea, quae unita sunt, neque duo dicimus; secus, in tenebras cadimus, idem et uniri et separari secundum hypostasim definientes. 25 Id accidit Orientalibus, qui tenebris offusi sunt quoad formulam

* p. 227. et duarum quidem naturarum confessi sunt unionem, * illam autem reliquerunt obscuritate coopertam. Haec namque est obscuritas formulae, quam dissolvit ad eos scribendo: CYRILLUS: « Unus enim Dominus Iesus Christus, quamvis differentia natu- 30 rarum agnoscatur, ex quibus unionem ineffabilem dicimus esse factam [3]»; illud autem « ex duobus » proprium est unionis hypostaticae; terminus vero huius *unionis* est unam esse naturam Dei Verbi incarnatam.

Si vero voluisset Cyrillus, ut ait Grammaticus, confiteremur 35 post inexplicabilem unionem duas naturas unitas et non sepa-

[1] PUSEY, t. III, p. 502. — [2] Locum non repperi.— [3] P. Gr., LXXVII, 180.

ratas, dicendum illi fuisset: « At, unione semel asserta, non amplius separantur a se ea, quae unita sunt, sed unus iam *est* Filius, et duae eius naturae unitae et non separatae ». Nunc autem non hoc dixit, nequaquam [1] minimeque, sed tanquam 5 sublata iam, post cogitationem unionis, sectione in duo, dixit: CYRILLUS: « Attamen, unione semel asserta, non amplius a se separantur ea, quae unita sunt, sed unus iam *existit* Filius, unaque natura eius, tanquam Verbi incarnati [2]». Et, quod saepissime dixi, nusquam tandem posset quis ostendere sanctum 10 Cyrillum scripsisse: « Igitur post unionem duas naturas unitas dicimus esse », sed ubique sola cogitatione et separatione secundum contemplationem *facta* dicit agnosci duo et secundum substantiam diversa esse ea, quae coniuncta sunt; at, post cogitationem unionis, una absoluta est et subsistit natura Verbi 15 incarnata, seu unus Christus et Filius et Dominus ex utroque, divinitate et humanitate.

Grammaticus autem, qui existimat se peritum esse et difficilem * confutatu, ad impietatem suam detorquens ea ipsa, * p. 228. quae bene dicta sunt, in ficta contradictionis forma profert 20 effatum et dicit: GRAMMATICUS: « Sed forsan dicent: Ecce, quoad formulam tenebris offusi sunt. Iamvero, si rectum esset dicere in duabus naturis Christum, non diceret eos tenebris offusos fuisse [3].» Ostende ergo, o pessime et qui nihil aliud scis nisi impie agere et manifesto desipere atque mentiri, 25 Orientales dixisse « in duabus naturis » agnosci Christum, sicut synodus chalcedonensis definivit. At, ostendere nequis; hoc enim solummodo dixerunt « duarum naturarum facta est unio »; unde dixit magister unum ex duobus Christum absolvi, non autem, sicut synodus chalcedonensis vult, unum Christum 30 « in duabus naturis » agnitum.

CAPUT TERTIUM DECIMUM

Quod cum dixit impius illuminatos esse Orientales a sapiente Cyrillo ut dicerent unam naturam Verbi incarnatam, et eum, qui asserit in duabus naturis agnosci Christum, sed non confitetur simul unam

[1] Sic vertimus particulam interrogativam πόθεν de re impossibili. — [2] P. Gr., LXXVII, 225. — [3] Locum non repperi (cfr supra, p. 153).

naturam esse Verbi incarnatam, malam haereseos suspicionem sibi ipsi inferre, propriis suis verbis ostendit et haereticam et non illuminatam esse synodum chalcedonensem, quae in sua definitione e Tomo Leonis scripsit in duabus naturis esse Christum, et epistulas Cyrilli deceptionis causa commemoravit, sed ex illis non posuit unam esse naturam Verbi incarnatam, atque ex duabus naturis esse Emmanuelem abscidit ut, sicut Nestorius, cum differentia naturarum introduceret sectionem dualitatis post unionem.

* p. 229. *Te autem vehementer miror, qui scripsisti, nolentibus Orientalibus confiteri unam esse naturam Dei Verbi incarnatam: GRAMMATICUS: « Multam exinde defatigationem toleravit beatus Cyrillus, qui patrocinium formulae suscipiebat eamque illustrabat, sicut in epistula secunda ad Succensum significat[1]», et non animadvertis quorsum vergat prolatio illorum inanium verborum. Cur ergo formulam, quae multo cum sudore et labore illustrata est, cuiusque patronus, ut ipse dixisti, factus est, non confessi sunt ii, qui in Chalcedone congregati sunt? Illam autem poni in definitione ab illis scripta haud semel vel iterum, sed saepissime si dici potest, oportuisset, quae impugnata fuerat et, patrocinante sancto Cyrillo, impugnatores vicerat. Si vero illam non posuerunt, converte, si tibi placeat, in illos ea, quae a te adversus nos compacta sunt et ad eos sermonem dirigens, dic: « Vos autem adhuc et nunc tenebris offundimini, dum Orientales illuminati sunt.» At, non poterant unam naturam Dei Verbi incarnatam confiteri, qui ex duabus naturis factam esse unionem non dixerunt, imo reiecerunt; haec enim *formula* efficit unam esse naturam Verbi incarnatam. Quapropter, duae formulae sunt connexae et qui unam reiecit, alteram quoque cum prima reiecit; qui vero primam confitetur, etiam alteram firmiter recepit.

Hoc quoque sapientissimus Cyrillus, in prima epistula ad Succensum consequenter docuit, sic scribendo: CYRILLUS: « Cum ergo id intelligimus, nihil laedimus concursum in unitatem, quem ex duabus naturis * dicimus esse factum; sed post unionem naturas a se non separamus, neque in duos filios secamus illum unum et indivisum, sed unum Filium dicimus et, ut [* p. 230.]

[1] Locum non repperi.

Patres dixerunt, unam naturam Verbi incarnatam[1].» Cum autem haec unio indissolubilis, naturalis et hypostatica proclamatur, et absolvitur ex duobus unus Christus unaque natura et hypostasis Verbi incarnata, opportunitas datur iam, et quidem rectissime, dicendi nos secundum cogitationem discernere duarum naturarum factam esse unionem; sed post cogitationem unionis, unum confitemur ex duobus tanquam Verbum inhumanatum. Ideo etiam sanctus Cyrillus, in eadem prima epistula ad Succensum, postquam ex duabus naturis dixerat proclamandam esse unionem, unamque naturam Dei Verbi incarnatam, statim subiunxit: CYRILLUS: « Itaque quantum attinet ad cogitationes atque ad contemplandum tantummodo oculis animae quomodo inhumanatus sit Unigenitus, duas naturas esse dicimus, quae unitae sunt, unum autem Christum et Dominum et Filium, Dei Verbum inhumanatum et incarnatum[2].» Ita etiam in epistula ad Acacium: « Quapropter ea, ex quibus est unus et solus Filius et Dominus Iesus Christus velut in cogitationibus apprehendentes, duas quidem naturas unitas esse dicimus; verum, post unionem, tanquam iam sublata in duas sectione, unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati[3].» RURSUSQUE: « Cum itaque modus incarnationis studiose inquiritur, duo inter se ineffabiliter et immutabiliter secundum unionem coniuncta videt prorsus intellectus humanus; attamen, ubi unita sunt, nullo modo ea disiungit, sed unum, * qui ex duobus, et Deum et Filium et Christum et Dominum esse credit et inconcusse admittit[4].» [* p. 231.]

Ex his nihil ii, qui in Chalcedone congregati sunt, scripserunt, neque « unio naturalis », neque « hypostatica », neque « ex duabus naturis », neque « una natura Dei Verbi incarnata »; sed solo nomine epistulae sapientis Cyrilli, ad deceptionem simplicium, nominantur, iacent vero mutae, dum mirabilis Leonis *verba* in definitione tanquam in columna aerea describuntur. Cum enim iste scripsisset de omnium nostrum salvatore Christo: LEO: « Propter hanc ergo unitatem personae

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 232. — [2] *Ibid.* — [3] *Ibid.*, 192. — [4] *Ibid.*, 193.

in utraque natura intelligendam[1]», rursusque: « Ut agnosceretur in eo proprietas divinae humanaeque naturae individua permanere[2]», illi quoque ei adhaerentes definierunt atque dixerunt: Synodus chalcedonensis: « Unum eundemque Christum Filium Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnitum[3]», hisque addiderunt, ipsa verba dilacerantes, versum quemdam ex secunda epistula sancti Cyrilli ad Nestorium scripta, hoc modo: « non quasi sublata naturarum differentia propter unionem[4] », abscindendo id, quod coniuncte praecedit *et* dicit ex ambabus esse unum Christum, ut etiam exinde manifesto agnoscatur ipsos verborum Cyrilli esse fures et sacrilegos, qui integra dilacerant idque impugnant quod ex duabus naturis confiteamur unionem inexplicabilem, unde efficitur unam esse naturam Dei Verbi incarnatam. Locus autem sic se habet: Cyrillus: « Diversae quidem sunt naturae in unitatem * veram congregatae, unus autem ex ambabus Christus et Filius, non quasi sublata differentia naturarum propter unionem, sed efficientibus potius nobis unum Dominum Iesum Christum et Filium divinitate et humanitate per inexplicabilem et ineffabilem concursum in unitatem[5]. » Isti vero, qui *verba* « ex ambabus » absciderunt, et solummodo scripserunt « non quasi sublata differentia naturarum propter unionem », eadem ac Nestorius sentientes et facientes deprehenduntur; nam ille etiam nominans duas naturas et differentiam significans, non confitetur nobiscum unionem, quia non dixit « ex duabus naturis », neque « unam naturam Dei Verbi incarnatam ».

(* p. 232.)

Cuius rei testis producitur sapiens Cyrillus, dicitque ea, quae Grammaticus attulit quidem ex epistula ad Eulogium, minime vero auribus intelligentiae audivit: Cyrillus: « Non omnia, quae dicunt haeretici, fugienda sunt atque repudianda; multa enim profitentur ex iis, quae nos quoque profitemur. Exempli gratia, cum Ariani dicunt Patrem omnium creatorem et dominum esse, num ideo consequens est ut eiusmodi confessiones aversemur? Sic et de Nestorio; licet dicat duas naturas,

[1] *P. Lat.*, LIV, 771. — [2] *Ibid.*, 773. — [3] Mansi, t. VII, col. 116. — [4] *Ibid.*; cfr *P. Gr.*, LXXVII, 45. — [5] *P. Gr.*, LXXVII, 45.

differentiam significans carnis et Dei Verbi, — alia enim est Verbi et alia carnis natura, — unionem tamen nondum nobiscum confitetur. Nos enim illa unientes, unum Christum, unum Filium eundem, unum Dominum confitemur, ceterumque unam naturam Filii incarnatam. Simile quid etiam de quocumque homine *dici potest*; constat enim ex naturis diversis, ex corpore nimirum et anima, et ratio quidem atque contemplatio cognoscunt differentiam, * sed ubi *illa* univimus, unam tunc naturam hominis facimus. Itaque naturarum differentiam agnoscere non est dissecare in duo unum Christum[1].» Rursusque: « Non consubstantiale Verbo est corpus; quod si consubstantiale non est, alia omnino atque alia natura, ex quibus unus et solus intelligitur Christus[2]. »

(* p. 233.)

At ii, qui in Chalcedone congregati sunt, ea quidem quae et Nestorius nobiscum confitetur, ex verbis Cyrilli afferunt, scilicet naturas esse duas et secundum substantiam diversas divinitatem et humanitatem[3]; quae vero Nestorii divisionem expellunt et eiciunt, quoad illa Cyrillus absque voce remanet *apud illos*, et verba epistularum eius reticentur; neque reticentur tantum, sed etiam abscinduntur τὸ dicere duobus unum Christum *et* τὸ dicere unam esse naturam Verbi incarnatam; his enim proclamatis, neque agnoscere differentiam naturarum, ex quibus *constituitur* unus Dominus et Deus et Filius et Christus, est in duo illum unum secare. Talia iam a turba iudaica pertulit antequam hinc discederet et apud Deum esset strenuus athleta veritatis, cum *haec turba* calumniaretur duodecim capitula et reprehensiones immundas adversus illa scriberet, atque machinaretur ut scripta eius, quae Nestorii impietatem redarguebant, silentio premeret. Omnem funem, ut dicitur, torquebat ut illum etiam lingua privaret, si hoc facere sibi licuisset. De quibus quoque ad Acacium, episcopum halebensem, scripsit hic re vera iustus, qui in aeternum non cessit, sicut dicit liber Proverbiorum[4], sed indesinenter pro veritate pugnabat: Cyrillus: « Apertissime enim nos elingues esse volunt, blasphemiis eius silentium ab omnibus nundinantes[5]. »

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 225. — [2] *Ibid.*, 225. — [3] Haec verba Severi: « qui in Chalcedone . . . humanitatem », graece leguntur *P. Gr.*, LXXXVI, 1845. — [4] *Proverb.*, x, 30. — [5] *P. Gr.*, LXXVII, 161 (latine tantum).

* p. 234. * Quid ergo frustra insudas, o Grammatice, et in libello tuo cantharorum more murmuras in gutture tuo « una natura Dei Verbi incarnata », atque scribis: GRAMMATICUS: « Multam exinde defatigationem toleravit beatus Cyrillus, patrocinium ipsius formulae suscipiens, eamque illustrans[1] »? Inter eos enim, qui illuminati non sunt, reponetur synodus chalcedonensis, quae non confessa est formulam illuminantem, atque per haec confusionem paras ei, quam pennis alienis vis ornare. At, nihil mirum. Sunt enim, sunt quidam, qui tui instar artis grammaticorum speciem simulant, adulatores ignobiles et indocti; qui magnatibus placere student et divitibus blandiuntur. Et saepissime virum quemdam prorsus ignorantem quid sit certamen, quid pugna vel acies, imo forsan etiam paralyticum vel podagrum, iuxta consequentiam commentitiae gradationis verborum, vocant equitem, armigerum, bellatorem et fervidissimum; et alium quemdam venalem et pro uno quadrante libram iudicii inclinantem, iudicem aequum vocant iustaque iudicia ferentem. Nec tantum laudibus decorant eos, qui laudari censentur, quantum illis in memoriam suis dictis reducunt dotes, quibus destituuntur, et eas quibus adversantur, atque eas quibus dolere ipsos deceret potius quam gaudere.

His ergo consentanea tu quoque scripsisti. Unionem hypostaticam laudas, et id quod ex duobus unus Christus dicatur et quod una natura Dei Verbi incarnata proclametur. Quod autem attinet ad synodum chalcedonensem, quae illis destituitur, quemadmodum ipsae res ostendunt, — siquidem nihil prorsus huiusmodi dicit, sed * etiam dolose abscindit ea, quae dicere et scribere deberet, — dolere decet privatione, reticentia, abscissione verborum rectae fidei, quae in speciem laudas, dum patronus fis ei *synodo*, quae ea eiecit et contempsit, eaque tandem noluit scribere in definitione. Vix autem supervacaneum non est ex tuis etiam verbis nos adversus illam dicere sententiam damnationis. Cum enim in duabus naturis Christum agnoscendum definierit, unam autem esse naturam Dei Verbi incarnatam non confessa sit, haereticis a te ascribitur; etenim, etiam dixisti indicium vesaniae hoc esse, atque malae haereseos suspicionem

* p. 235.

[1] Locum non repperi.

hoc inferre, quod aliquis confiteatur in duabus naturis unum Christum, rursus vero non confiteatur unam esse naturam Dei Verbi incarnatam.

Audi ergo sententias tuas; ipsa enim res illas iterum in medium adducit: GRAMMATICUS: « In hac enim epistula adversus eos tantum pugnat beatus Cyrillus, qui non annuunt dicere unam naturam Dei Verbi incarnatam, sed potius *formulam* « in duabus *naturis* » recipiunt, quae vesaniae indicium est, si altera confessione destituatur, ut ostensum est[1].» ET POST ALIA: « Papae, audaciam adversariorum! Si enim solummodo duas naturas diceremus, rursus non confitentes alteram quoque confessionem, nempe unam esse naturam Dei Verbi incarnatam, causam haberet inculpatio eorum[2].» ET POST PAUCA: «Quapropter beatus Cyrillus et eos, qui duas naturas de Emmanuele dicunt, recipiebat, cum haereses Apollinarii fugeret, *rursusque assertionem unius naturae Verbi incarnatae profitebatur propter Nestorii sectionem. Cum enim utrumque proclamatur, rectae sententiae indicium habetur; cum vero una confessio reicitur, mala suspicio haereseos oritur[3].» Ad te, qui haec scripsisti et vis mala quadam fraude ea miscere, quae misceri nequeunt, quique verbis tuis tanquam laqueis implicaris, sanctus Proverbiorum liber opportunissime clamat: « Qui inconsideratus est in labiis suis, tortuose ambulans cadet[4] », rursusque: « Os stulti, contritio est ipsi; labia autem eius laqueus animae eius[5] ». Ut enim modo dixi, cum ex duabus naturis Christum confiteri respuissent Chalcedonenses, unam naturam Dei Verbi incarnatam confiteri non poterant.

* p. 236.

CAPUT QUARTUM DECIMUM

Quod Chalcedonenses anathematizaverunt eos, qui unam naturam Dei Verbi incarnatam confitentur, vel dicunt Christum esse unam naturam, id est, unam hypostasim inconfuse ex duobus, ex divinitate et humanitate, utendo iisdem artificiis, quibus etiam usi sunt tum Nestorius, tum ii, qui contra sanctum Cyrillum scribebant, et delebant *voces* « incarnata » et « ex duobus », et unam naturam atque

[1] Locum non repperi. — [2] Item. — [3] Item. — [4] *Proverb.*, x, 8. — [5] *Ibid.*, XVIII, 7.

hypostasim calumniose asserebant unam substantiam ab ipso dici, et mutationis eum accusabant, confusionis atque theopaschismi, et quod duas naturas ante unionem comminisceretur, unam vero post unionem fingeret.

Cur autem hoc dicam? Etenim hanc quoque formulam aggressi sunt iisdem fictionibus quibus * et Nestorius. Nam in definitione a sua synodo composita scripserunt haec testificantes: SYNODUS CHALCEDONENSIS: « Et adversus eos, qui de duabus naturis Christi mixtionem et confusionem introducunt, exsurgit *synodus*; et eos, qui stulte putant caelestem esse vel ex alia substantia formam servi ex nobis *assumptam*, reicit; et eos, qui comminiscuntur duas naturas Domini ante unionem, unam autem post unionem plasmant, anathematizat[1]. » Explicent autem nobis cur, postquam reiecerunt tum eos, qui mixtionem et confusionem censent, tum eos, qui caelestem aut ex alia materia, non vero ex nostra substantia, carnem Domini esse impie putant, addam autem et eos, qui secundum quamlibet immundam sententiam ea, ex quibus est Christus, in unam substantiam commiscent atque confundunt, non adiecerint decere confiteri unam naturam Dei Verbi incarnatam, vel unam naturam et hypostasim esse unum Christum ex duobus, divinitate et humanitate, secundum ipsorum rationem perfectis?

Ita enim et Iulium, spiritualem et inconcussam turrim ecclesiae Romanorum, in oratione cui titulus « De unione in Christo, id est corporis ad divinitatem Verbi », sic scribentem produximus: IULIUS: « Proclamatur autem in eo hoc quidem esse creatum in unione increati, illud autem increatum in coniunctione creati, una subsistente ex utraque parte natura[2].» Similiter et sapientem Cyrillum *produximus scribentem* in oratione « Quod unus Christus »: CYRILLUS: « At quis ita stupidus et imperitus sit, ut * existimet aut naturam divinam Verbi mutatam esse in id quod non erat, aut translatam esse carnem secundum mutationis modum in *naturam* ipsius Verbi? Nullo modo enim *hoc fieri potest*; unum autem Filium, unamque naturam eius esse dicimus, etsi agnoscitur factus in assumptione carnis animam rationabilem habentis. Ipsius enim, ut dixi,

[1] MANSI, t. VII, 116. — [2] LIETZMANN, p. 187; *P. Lat.*, VIII, 873 (gr.).

facta est humanitas; concipitur autem a nobis haud secus quam hoc modo Deus simul et homo[1].» Rursusque in apologia octavi anathematismi contra reprehensiones Andreae: «Etenim quando circa unam personam et naturam seu hypostasim unam diligenter inquirens sermo ea, ex quibus est aut componitur secundum naturam, subiungit *praepositionem* σύν vel μετά, servavit etiam sic rei significatae hoc, quod una sit secundum compositionem, minimeque in duo divise discernit. Quando autem, prius divisis hypostasibus in duo et ad hoc ut utrumque seorsum et singillatim concipiendum sit, *praepositio* σύν vel μετά dicitur, tunc duorum aut plurium, non autem unius secundum compositionem, dicimus *praepositionem* esse significativam[2]. »

Prorsus necessario autem, in singulis locis adductis, doctores, unam naturam esse Christum dicentes, addiderunt *formulas* « ex duobus », « ex quibus componitur secundum naturam », « unius est secundum compositionem », « factus est in assumptione carnis animam rationabilem habentis », ne quis calumniose assereret unam naturam dictam esse unam ex confusione substantiam, — quod etiam strenuus Grammaticus voluit facere. Quapropter in prima quoque epistula ad Succensum, magister prudens et diligens, nullaque ex parte calumniatoribus comprehensibilis, scripsit haec: CYRILLUS: « Si enim auferemus * hoc, quod ex naturis duabus et diversis unus et solus est Christus, insecabilis etiam post unionem exsistens, dicent ii, qui rectam doctrinam impugnant: Si totum una est natura, quomodo inhumanatus est et carnem propriam sibi fecit[3]? » In his ergo docuit oportere is, qui unam naturam dicit unum Christum, ex duabus diversisque naturis illum confiteatur, ut innotescat nos unam naturam dicere eum, qui ex duobus, itemque unam hypostasim et personam unam, sicut et ipse subiunxit, dicens « Circa unam personam et naturam seu hypostasim unam[4]». In secunda autem epistula ad Succensum iterum docet eum, qui dicit unam naturam Verbi, prorsus confiteri debere « incarnatam », ut indicet Emmanuelem, id est, inhumanatum pro nobis Filium et Verbum unigenitum Dei Patris: CYRILLUS: « Nam si, postquam « unam naturam Verbi » dixeramus, tacuissemus

[1] *P. Gr.*, LXXV, 1289. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 352. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 233. — [4] *P. Gr.*, LXXVI, 352.

ac minime adiunxissemus « incarnatam », exclusa dispensatione, esset fortasse ipsis sermo, et quidem non ineptus, ad simulate interrogandum: Ubinam perfectio humanitatis, aut ubinam subsistit substantia nostri similis? Sed quia et perfectio in humanitate et nostrae substantiae designatio illata est per hoc, quod diximus « incarnatam », desinant baculo arundineo inniti[1]. »

Haec sunt, quae senserunt et docuerunt mystagogi veritatis; duas autem naturas ante unionem nullus unquam ex iis, qui recta sentiunt, commentus est. Nam ante unionem et incarnationem simplex erat Verbum Dei et carnis expers, sicut secundum substantiam absque figura et forma et corpore et * p. 240. * coaeternum Patri et Spiritui. Cum autem dignatum est propter nos homo immutabiliter fieri, manendo Deus; cum ineffabiliter obumbravit, ut scriptum est, Virginem Dei genitricem, ex illa et ex Spiritu sancto carnem nobis consubstantialem, anima et mente praeditam, coniunctione secundum unionem naturalem sibi univit. Ideo enim etiam hypostaticam vocamus unionem, quia in ipsa unione cum Verbo saeculis anteriore substitit caro et ad existentiam venit parique cursu obtinuit cum ipsa subsistentia unionem, ita ut sic quoque ex duobus indivise, ex divinitate et humanitate, unus intelligatur Emmanuel et conceptus et natus in carne, quemadmodum et anima cuiuslibet hominis cum suo corpore nascitur, quae secundum substantiam quidem alia est ab illo, una autem natura et hypostasis ex utroque absolvitur. Simili enim modo Verbum Dei, ut scriptum est, participavit nobiscum sanguini et carni[2] et per omnia similitudinem nostram tulit, absque peccato[3]. Si ergo ante unionem et incarnationem simplex fuit Verbum et corporis expers, post incarnationem vero unum ex duobus *est*, ubi sunt qui ante unionem duas naturas comminiscuntur? Ego autem Nestorii sectatores invenio, qui ante eam, quae ab ipsis agnoscitur, unionem duas naturas comminiscuntur. Nam si Verbum saeculis antiquius in propria sua natura et hypostasi erat, infans autem, qui ex Maria, prius substitit et creatus fuit seorsum * p. 241. * et postea coniunctus fuit Verbo et unitus secundum

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [2] *Hebr.*, II, 14. — [3] Cfr *ibid.*, IV, 15.

affectuosam voluntatem et benevolentiam, et participavit appellationi et dignitati Filii, procul dubio ante hanc fictam et ementiti nominis unionem, duae fuerunt naturae et hypostases, infans, qui ex Maria, et Verbum, quod ex Deo, quorum dualitatem ne illa quidem fictitia persona unionis[1] abolevit. Cur ergo ii, qui in Chalcedone congregati sunt, postquam praemiserant illas immundas sententias, scilicet confusionem, mixtionem, et hoc quod corpus Christi caeleste et ex alia quadam materia, non autem ex nostra substantia *esse* fingatur, itemque hoc quod duas naturas Domini, sicut dixerunt, ante unionem comminiscamur, unam vero fingamus post unionem, atque eos, qui ita sentiunt, anathematizaverant, non addiderunt dicendum esse unam naturam Dei Verbi incarnatam, vel ex duabus diversisque naturis unum Christum, unam personam, unam naturam et hypostasim ex duobus, sicut dixerunt sancti Patres, Athanasius et Iulius et Cyrillus?

At evidens est illos *Chalcedonenses*, reticendo legitimas voces, istis *formulis* falso tribuisse vitium mixtionis et confusionis et stultitiam fictionis duarum naturarum ante unionem, quia veluti per comparationem temporum intellexerunt id, quod dictum est a sancto Cyrillo ad Nestorium: « Desine dividere naturas post unionem[2] », rursusque alibi: « Verum, post unionem, tanquam sublata iam in duas sectione, unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati[3]. » Illud autem non comparatur, iuxta increpationem et convicium impiorum, tempori incarnationem praecedenti, perinde ac si, antequam unitum fuisset Verbum Dei * carni anima * p. 242. rationabili praeditae, duae fuissent naturae et hypostases Christi; hoc enim maximam esse impietatem et amentiam ipsa oratio ostendit. Dicitur vero quasi respiciendo intellectum eius, qui studiose inquirit differentiam naturarum, ex quibus est unus Christus; qui duo quidem imaginatur in contemplatione et cogitatione ea, quae ad unionem concurrerunt, sed post cogitationem unionis, iam non potest duo dicere, quia una ex duobus est hypostasis et natura Verbi incarnata et inhumanata.

Et rem ita se habere, sole clarius ostendit clara et manifesta

[1] πρόσωπον τῆς ἑνώσεως. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 92. — [3] *Ibid.*, 192.

vox sancti Cyrilli, quae ante effata modo allata, in epistula ad Acacium, episcopum melitinensem, haec clamat: CYRILLUS: « Quapropter ea, ex quibus est unus et solus Filius et Dominus Iesus Christus velut in cogitationibus apprehendentes, duas quidem naturas unitas esse dicimus; verum, post unionem, 5 tanquam sublata iam in duas sectione, unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, verum incarnati et inhumanati[1].» RURSUSQUE: « Cum itaque modus incarnationis studiose inquiritur, duo inter se ineffabiliter et inconfuse secundum unionem coniuncta videt prorsus intellectus humanus; attamen, 10 ubi unita sunt, nullo modo ea disiungit, sed unum, qui ex duobus, et Deum et Filium et Christum et Dominum esse credit et inconcusse admittit[2].»

Haec autem iam in praecedentibus fuse diximus. At ii, qui in Chalcedone congregati sunt, legitimam formulam sanctorum 15 Patrum « unam *scilicet* naturam et hypostasim ex duobus, ex divinitate et humanitate, agnoscendum esse * unum Christum », vel « una natura Dei Verbi incarnata », in insaniam perducere volentes, commentitium istud illi adiunxerunt[3] « ante unionem et incarnationem duas *esse* naturas », itemque confu- 20 sionem et conversionem haberi, et ita illam anathematizarunt. Nam nisi hoc fuisset ab ipsis intentum, confessi essent et ipsi *formulas* « ex duobus » et «una est natura Dei Verbi incarnata ». Etenim iuxta eos ipsos, qui duas naturas dicunt post affectuosam et ementiti nominis unionem[4], necesse est etiam ante unio- 25 nem duas dari naturas, meritoque censent fabulam esse ante eiusmodi unionem duas dicere naturas unamque post unionem fingere. Itaque unio hypostatica procul removetur ab hac mendaci fabula, quam ex sua immunda sententia impii ausi sunt illi adiungere. Simplicem namque et carnis expertem ante unio- 30 nem cum carne anima et mente praedita, et ante perfectam inhumanationem, etiam cum inhumanatus est ostendit unum, qui ex duobus, divinitate et humanitate, eximie subsistit atque sola cogitatione subtilique contemplatione separatur. Ita enim se habet compositus ut acuto mentis oculo videamus duorum quo- 35

* p. 243.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 192. — [2] *Ibid.*, 193. — [3] προσμυθεύειν. — [4] Cfr LOOFS, p. 208.

rumdam diversorum minimeque invicem consubstantialium esse coniunctionem; recipit autem simul individuitatem unionis, ne iam duo post cogitationem unionis dicamus. Una enim ex duobus est natura et hypostasis Verbi incarnata, quae supra omnem 5 admirationem absolvitur et subsistit.

Quod autem istis legitimis verbis eadem reprehensibilia falso adiungebat, — quae etiam * synodus chalcedonensis, — immunda Nestorii turma, cum adversus sanctum Cyrillum pugnaret, *id* sequentia manifesto ostendent. Et statim quidem, 10 ipse Nestorius, in commonitoriis ab ipso Ephesi confictis, quibus titulum scripsit sic: « De iis, quae in synodo ephesina evenerunt, deque causa, quae eam congregavit », haec dixit: NESTORIUS: « Nonne hoc excogitatum est ab aliquo ex sectatoribus Apollinarii vel Arii, quemadmodum isti quoque in unam 15 naturam dualitatem naturarum commiscent[1]?» Et in oratione cui titulus « De fide », seu « Expositio fidei », cuius initium est « Confitemur dogma: consubstantialis », haec scripsit: « Si vero dixerint isti theopaschitae, Apollinarii sectam confirmantes, « post unionem, una apparuit natura », magna cum indi- 20 gnatione oportet avertamus faciem ab illis, quia inde a commixtione et confusione utramque naturam a proprietatibus eius impie removerunt atque in eo quod est neque divinam *naturam*, neque humanam, quod ad ipsos attinet, iam permanere sinunt, eo quod per commixtionem et confusionem utraque a sua qui- 25 dem substantia deciderit, in aliam vero perfecte transierit. Si autem dicant neque commixtas neque confusas esse naturas, ex necessitate non una *habetur* natura, sed duas Christi *naturas esse* concedere coguntur, impassibilem et passibilem, statque dogma affirmans *Christum esse* consubstantialem Trinitati 30 secundum divinitatem[2].»

Haec autem Chalcedonenses et ipsi causam iactantes, ipsis verbis consonanti voce, velut patroni impassibilitatis divinitatis, dixerunt sic: * SYNODUS CHALCEDONENSIS: « Qui autem confusionem et commixtionem introducunt, et unam esse naturam carnis 35 et divinitatis insipienter fingunt, et passibilem naturam divi-

* p. 244.
* p. 245.

[1] Cfr LOOFS, p. 208. — [2] LOOFS, p. 329.

nam Unigeniti per confusionem mendaciter dicunt[1].» Optime vero curavissent immutabilitatem et impassibilitatem divinitatis, et cognovissemus illos adversus eos, qui in unam substantiam confundunt ea, ex quibus Christus *est*, haec dixisse, si confessi essent ipsi unam esse naturam Dei Verbi incarnatam, minimeque reiecissent manifesto id, quod « ex duabus naturis » dicatur unus Christus.

At neminem latet adversus istas formulas illos armatos esse. Totam enim simulationis speciem Nestorius revelat, ostenditque adversus eos, qui confitentur unam naturam Dei Verbi incarnatam, totam ipsorum pugnam esse. Nam in opere cui titulus « Adversus Theopaschitas seu Cyrillianos », in forma dialogi *composito*, scripsit haec, quae iam in antea consideratis attulimus: NESTORIUS: « Theopaschita dicit: Et quomodo insimulabimur nos compactionis dualitatis naturarum, qui dicimus Christum esse unam naturam Dei incarnatam? — Orthodoxus dicit: Id ipsum, cuius argueris, excusationem eorum; quorum argueris, censes? Nam confessus es a vobis statui Christum esse unam naturam ex incorporali et corpore atque hypostasim uninaturalem τῆς θεοσαρκώσεως. Id autem est confusio duarum naturarum, quod istae naturae spolientur hypostasibus, quas singillatim possidebant, cum inter se miscentur[2].» Supra autem, prout insipientia commenti sui postulat, Theopaschitam introducit haec dicentem: « Passibilis ergo est natura carnis, et mutabilis, et recens creata, sed tamen ita divinitatis [* p. 246.] propria ut in una *eademque natura[3] utrumque subsistat[4].» Sanctus etiam Cyrillus, in tomo quinto adversus blasphemias Nestorii, illum iniquum producit haec scribentem: NESTORIUS: « Vellem hoc loco discere ab haereticis, qui naturam divinitatis et humanitatis in unam substantiam commiscent, quisnam sit hic qui a proditore Iudaeis traditur. Si enim commistio amborum facta est, ambo simul a Iudaeis detenta sunt, et Deus Verbum, et natura humanitatis[5].»

Ecce totam calumniam commistionis et confusionis adversus eos, qui dicunt unam naturam Dei Verbi incarnatam, struunt,

[1] MANSI, t. VII, col. 116. — [2] LOOFS, p. 209. — [3] ἐν ἑνὶ καὶ ταὐτῷ τῆς φύσεως. — [4] LOOFS, p. 209. — [5] *P. Gr.*, LXXVI, 229, LOOFS, p. 229.

et calumniose asserunt unam naturam, scilicet unam ex duobus inconfuse hypostasim dictam esse unam substantiam, quasi in identitatem substantiae confusae et commistae fuissent divinitas et humanitas, ex quibus *est* Emmanuel. Eadem autem ac Nestorius via procedens impius quoque Theodoretus, postquam in communione Orientales receperat sanctus Cyrillus, ad Nestorianos constantinopolitanos haec scripsit: THEODORETUS: « Etenim, confutatum est nunc consilium mendacii et ostensa est potentia veritatis. Ecce enim qui naturas Salvatoris nostri Christi impia ratiocinatione confuderant et unam naturam praedicare ausi fuerant, et propterea adversus sanctum et religiosissimum Dei pontificem Nestorium pugnaverant, velut camo quodam et freno, secundum dictum prophetae, maxillis suis contritis[1], et opposita *prioribus* laudant, tanquam paedagogo veritatis eo usi, qui pro veritate pugnam *sustinuit. [* p. 247.] Pro una enim natura duas nunc confitentur et eos, qui permistionem vel confusionem introducunt, anathematizant, et divinitatem Christi in impassibilitate venerantur, et carnis esse passiones docent, et evangelicas voces separant, et sublimes quidem atque Deo dignas divinitati adscribunt, humiles autem humanitati aptant. Talia enim sunt scripta, quae modo ab Aegypto venerunt[2].» His autem similia scripsit et ad Theosebium, episcopum Cii, sic: « Et nunc eos, qui contraria doctrinae apostolicae confitebantur, et unam Christi naturam duas naturas *factas esse* docebant, et permistionem atque confusionem de inconfusa unione dicebant, et passiones carnis Salvatoris nostri, quae propter nostram salutem illatae sunt, incommutabili et inconvertibili divinitati applicare ausi sunt, ad doctrinam e regione oppositam manifesto convertit *Deus*, et ad evangelicam rectitudinem addiscendam compulit. Unde duas naturas confiteri nunc persuasi sunt, et mutationem atque confusionem e doctrinis ecclesiae abigentes, inconfusionem naturarum magna voce praedicant et impassibilem esse naturam divinam dicunt[3].» Scripsit autem et ad Domnum, tunc temporis antistitem Antiochiae, Iohannis successorem, haec: « Neque enim

[1] *Psalm.* XXXI, 9. — [2] *P. Gr.*, LXXXIII, 1487 (latine tantum). — [3] *P. Gr.*, LXXXIV, 703 (latine tantum).

norunt, qui ex aliis dioecesibus sunt, venenum in duodecim capitulis insitum, sed claritatem eius, qui illa scripsit, attendentes, nihil malum suspicantur [1].» RURSUSQUE POST PAUCA: «Nec prius communicavimus ei, qui haec scripserat, quam iis quae exposueramus assentiens consonam his doctrinam accommodavit, 5 nullam illorum capitulorum faciens mentionem [2].»

* p. 248. * Numquid divinatione et coniectura opus est quoad illa, quae manifesto praedicantur? Cum enim isti anthropolatrae adversus sanctum Cyrillum, seu potius adversus ipsam veritatem, pugnam inirent, *formulam* «ex duobus» reticebant et 10 *vocem* «incarnata» abscindebant, sicque confessioni unius naturae calumniam mutationis et confusionis inferebant. Ecce enim qui istas reprehensiones scripsit, in duodecim capitulis dixit esse venenum talis criminis. Et quis inter eos, qui pietatem sectantur, non abhorrebit ab eiusmodi audaci mendacio? Ubi 15 enim, in illis duodecim capitulis, mutationis vel confusionis vel mixtionis substantiarum prodit suspicio? Ubi autem, in singulis eius scriptis, non manifesto excluditur, non excepta etiam tertia epistula ad Nestorium, infra quam duodecim capitula sapiens illorum pater scripsit? At vero impius calumnia- 20 tor, qui in illis *capitulis* «unam naturam» spoliavit ab hoc, quod «ex duobus inter se non consubstantialibus, quae in unum ineffabiliter congregata sunt» proclamatur et «incarnata» praedicatur, aperte et audacter in immunda oratione sua dolosam impietatem suam manifestavit, atque canis instar 25 haec latravit: THEODORETUS: «Et quomodo largitor vitae *is, qui* mortalis *est*? Quomodo autem mortuos vivificat, qui morti traditus est? Sed ante alios, dices, surrexit. Hoc etiam ad mutationem pertinet! Itaque secundam tulit mutationem: mortuus quidem factus est ex Deo, rursus autem Deus ex mortuo [3].» 30 ET POST ALIA: «Inveniunt autem novum quoddam effugium adversus doctrinas veritatis; credimus enim, aiunt, in unam naturam incarnatam [4].»

* p. 249. * Alexander autem, qui fuit antistes mabugensis, eademque, qua et Theodoretus, insania insanivit, ad Acacium, episcopum 35

[1] *P. Gr.*, LXXXIII, 1309. — [2] *Ibid.*, 1309. — [3] Locum non repperi. — [4] Item.

halebensem, qui scripta omnis orthodoxiae plena accepit a sancto Cyrillo, sic scripsit: ALEXANDER: «Deo praesente *dico*, nullumque revereor: Cyrillus haereticus est, unam naturam Christi praedicans eique universas passiones ipsamque mor- 5 tem adiungens. Et licet cuilibet legenti cum veritatis amore tum capitula, tum interpretationem *epistulae* ad Hebraeos, tum varias epistulas, festales et quae ad caeteros scripta sunt, omniaque eius scripta, invenire quod unam naturam Dei et hominis dicat, et quod Deus Verbum factus sit caro hoc sensu, et mor- 10 tuus carne, et sepultus carne et redivivus carne, et quod primogenitus ex mortuis factus sit Deus Verbum carne; deiecit autem nomen incarnationis post confessionem unius naturae [1].» ET POST PAUCA: «Licet autem ei, qui velit, fallacia eius verba cognoscere. Qui, cum fallaci verbo dixit Deum Verbum impas- 15 sibilem, immutabilem, inconvertibilem, habentem inconcussam ut eius voce utar, permansionem in iis, quae est, postea in unam naturam utrumque coniungit, omnia quae antea dicta sunt divinitati Unigeniti attribuens. Quapropter non dubitavit, in explicatione epistulae ad Hebraeos, dicere: Revixit Deus Ver- 20 bum carne [2]. Hoc autem ex aliis scriptis eius, praesertimque ex recenti epistula eius ad tuam Sanctitatem, possunt doctrinae studiosi accurate discere; dicens Verbum Dei esse inconvertibile et incapax * cuiuslibet passionis secundum natu- * p. 250. ram suam, simul passionem astute introducit, dicendo Deum 25 Verbum carnem factum esse, non autem carnem assumpsisse. Hoc enim in omnibus capitulis suis ponit, et Deum Verbum carnem factum esse ubique dicit, ita ut sit ante dispensationem impassibilis, sed post dispensationem passibilis. Illum enim dicit secundum se *sumptum* impassibilem, sed cum factus est 30 caro seu homo, tulit passionem. Si vero duas naturas manifesto confessus fuerit, seipsum liberabit ab haeretico sensu [3].»

Impius autem Andreas, qui ausus est, sicut et Theodoretus, adversus duodecim capitula inique et contemptim scribere, in epistula ad venerabilem Rabulam, tunc temporis episcopum 35 edessenum, qui eum vituperaverat propter audacem et teme-

[1] *P. Gr.*, LXXXIV, 666 (latine tantum). — [2] PUSEY, t. III, 425 (latine tantum). — [3] *P. Gr.*, LXXXIV, 666 (latine tantum).

rariam oppositionem ipsius, haec scripsit: Andreas: « Quod si in hoc, quod a sectatoribus Apollinarii seu Cyrilli dicitur, *scilicet* post unionem non dividendas esse in Christo naturas, ne duos filios exinde efficiamus, tua Sanctitas anceps haeret, pace tua suadebo tuae Sanctitati ut audiat. Stultissimum et absurdissimum est artificium! Primo quidem hoc ipsum quod « post unionem » dicitur, ratione caret. Etenim, non concipitur homo dominicus ante unionem divinam, nec unquam ipsi defuit illa beata natura, nam « Sapientia aedificavit sibi domum[1] », et profecto non removetur inhabitans a templo. Proinde ineptum et stultum est dicere « post unionem », quasi prius constitutus fuisset homo, postea vero effecta fuisset aliqua coniunctio. Deinde Deum * et hominem eundem dicentes, nihilominus et ipsi duas naturas confitebuntur, nisi eadem sit divina et humana natura, vel commistio quaedam utriusque vel confusio facta sit[2].» Et post alia: « Et cum simulato timore fugientes a confessione duarum naturarum unitarum, unum Christum profecto de medio tollunt, et miram commistionem et confusionem inviti dicunt, aut Deum in carnem mutatum universa tulisse atque passum esse[3].»

* p. 251.

Has calumnias adversus sanctum Cyrillum, qui Emmanuelem ex duabus naturis confitebatur, et unam naturam Dei Verbi incarnatam praedicabat, contexuerant Nestorius et cultores iudaicae et immundae sententiae eius, *scilicet*: « mutationem, confusionem *docet*, patibile efficit ipsum Verbum Dei, duas quidem naturas ante unionem astruit, unam autem naturam post unionem commistione efficit, et miscet confunditque naturas ». Haec convicia ipsis verbis synodus quoque chalcedonensis apposuit, cum ex duabus quidem naturis Christum proclamari manifesto reiecit, unam autem naturam Dei Verbi incarnatam in definitione scribere nullo modo sustinuit. In calumnia quidem cum illis communicat, quatenus reprehensiones eorum aperte scripsit in iis, quae ab ipsa promulgata sunt; sed a confessione perfecta sapientis Cyrilli, quae removet inanitatem reprehensionum illorum, semetipsam abalienavit. *Formulam* « ex duabus naturis » quandoque reiecit,

[1] *Proverb.*, IX, 1. — [2] Locum non repperi. — [3] Item.

quandoque abscidit, et quidem cum epistularum sancti Cyrilli mentionem faceret, ad deceptionem et seductionem simplicium, quod * mirae quidem calliditatis est, prudentibus autem valde reprehendendum.

* p. 252.

CAPUT QUINTUM DECIMUM

Quomodo ii, qui Nestorii *erroribus* laborabant, ex quibus Andreas quoque unus erat, dicentes duas naturas ante illam, quae ab ipsis concipiebatur, unionem, hanc suam impietatem sancto Cyrillo falso tribuebant, illumque insimulabant tanquam dicentem duas naturas ante unionem, unam autem post unionem; quem ipsi quoque Chalcedonenses accusarunt. Ostenditur multis testimoniis ab omnibus *doctrinarum* Nestorii studiosis dictum esse in duabus naturis individuis intelligi Christum, quem dividebant in duos christos, et unum eundemque simulate dicebant.

Mirabitur autem quis quomodo lamentabilis Andreas negaverit propriam suam doctrinam, dicendo: « Etenim, non concipitur homo dominicus ante unionem divinam », ut videretur sancto Cyrillo hoc falso tribuere, quod duas naturas ante unionem asserat eo ipso quod reiciat confessionem duarum *naturarum* post unionem. Iudaicae autem turmae eorum esse illam mendacem sententiam recordabitur profecto qui impigre et prudenter audierit ea, quae quoad Diodorum protulit sapiens Cyrillus, sic scribendo: Diodorus: « Cum enim Dominus in utero Virginis esset et ad illius substantiam attineret, non habebat dignitatem filiationis. Cum autem conformatus est et templum Deo Verbo factus est * recipiendo Unigenitum, adeptus est dignitatem nominis ipsique dignitati communicavit[1].» Ad quae etiam dux militiae Spiritus sancti, illum confutando dixit: Cyrillus: « Ergo iuxta te, Deus quidem non erat Emmanuel, neque tandem Filius, sed homo communis nostrique similis. Quia vero cum natus est, iam supervenit in ipso Unigenitus, tunc etiam templum Dei factus est et filiatione ipsoque honore dignatus. Proinde additicius est ipsi honor[2].»

* p. 253.

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 1450 (latine tantum). — [2] Pusey, t. III, p. 503 (syriace tantum).

Rursus autem adducit Diodorum mutatum sibique adversantem dum haec scribit: Diodorus: « Qui autem ex semine David, ex quo creabatur, Deum Verbum habebat; cum autem crearetur, Dei Verbi erat. Etenim apud nos quidem primo templum exstruitur, et deinde is, qui inhabitat, ingreditur in illud. At in utero Virginis is ipse, qui inhabitat, plasmavit sibi templum, haudque procul fuit a templo, sed illud implevit gloria et sapientia sua; non sicut apud prophetas, ita ignorantia aderat quoad revelabat Spiritus[1].» Et iterum producit illum contraria horum dicentem sic: « Neque enim divinitas, statim ut creatus vel natus est, posuit in illo totam sapientiam suam, sed paulatim dabat *illam* corpori[2].» Adversus haec igitur is, qui sapienter illa expandit, statim addebat: Cyrillus: « Decet autem ante alia id quoque nos dicere; siquidem contra ea, quae dixit et nos sentire iubet, processit. Asserit enim divinitatem Filii, statim ut natus est, non totam sapientiam suam in illo posuisse, quamvis scripserit paulo supra: * Diodori *dictum* quod attulit Cyrillus: « Etenim apud nos quidem primo templum exstruitur, et deinde is, qui inhabitat, ingreditur in illud. At in utero Virginis is ipse, qui inhabitat, plasmavit sibi templum, haudque procul fuit a templo, sed illud implevit gloria et sapientia sua[1].»

* p. 254.

Huius autem ridiculae oppositionis magis ridiculam solutionem dat Theodorus, qui tunc iudaico modo praesidebat *ecclesiae* mopsuestenae. Dicit enim secundum praecognitionem Deum Verbum fuisse ab initio unitum, etiam cum crearetur infans, postea vero hunc unione dignum habitum esse atque donatum. Producit enim eum, qui haec stulte delirat, eximius Cyrillus, in secunda oratione adversus illum, sic dicentem: Theodorus: « Uniebatur enim etiam a principio Deo Verbo is, qui assumptus est, secundum praecognitionem, in ipsa formatione in utero principium unionis sortitus. Statim autem ut unione dignatus est, omnia adeptus est quae decebat adipisci hominem unitum Unigenito omniumque Domino, tanto maioribus prae caeteris donatus quanto celsior erat unio, quae ipsi iam obtigerat[3].»

[1] Pusey, t. III, p. 504 (syriace tantum). — [2] *Ibid.* (item). — [3] *P. Gr.*, LXVI, 980.

His impiae diversitatis dogmatibus actus Andreas, profanus simul et ignarus, dicit: « Non enim concipitur homo dominicus ante unionem divinam[1] », quasi evidens esset secundum praedestinationem ab initio *eum* unitum et inhabitatum existimatum esse, postquam vero formatus esset, paulatim quasi per participationem sapientiam sortitum eamque totam consecutum, sicque perfecte inhabitatum esse. * Unde, meretricum instar, audax ille *vir* confusionem suam voluit sancto Cyrillo imponere, vituperando vocem eius, quae docet dicens: « Verum, post unionem, tanquam sublata iam in duas sectione, unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati[2] », et *vocem* ad Nestorium directam atque clamantem: « Desine dividere naturas post unionem[3] », perinde ac si sapiens doctor, dicendo naturas non esse dividendas post unionem, sed unam incarnatam esse proclamandam, ex temporali comparatione insinuaret duas naturas haberi ante unionem; quae quidem *sententia* propria iudaicae turmae eorum est, ut dixi, quae plasmat infantem ante inhabitationem, quam etiam unionem vocare volunt.

* p. 255.

Quibus se coniungens synodus chalcedonensis omnia convicia, quae in sanctum Cyrillum ab istis compacta sunt, secundum ordinem et coniunctim, ut ita dicam, apposuit, ipsa de seipsa dicens haec: Synodus chalcedonensis: « Et adversus eos, qui de duabus naturis Christi mixtionem aut confusionem excogitant, exsurgit; et eos, qui stulte putant caelestem esse vel ex alia substantia formam servi ex nobis *assumptam*, reicit; et eos, qui duas quidem naturas Domini ante unionem comminiscuntur, unam autem post unionem plasmant, anathematizat[4].» His autem non addidit Emmanuelem « ex duabus naturis » agnoscendum esse, et « unam naturam Verbi incarnatam », ita ut ii quoque, qui haec confitentur, sub anathemate ab illis *prolato* cadant. Statim etiam ulterius definivit dicendum esse: Synodus chalcedonensis: « Unus idemque Christus Filius et Dominus Unigenitus in duabus naturis * inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnitus[5].»

* p. 256.

[1] Supra, p. 176, l. 7. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 192. — [3] *Ibid.*, 92. — [4] Mansi, t. VII, col. 116. — [5] *Ibid.*

Quod autem illa ad verbum contra sanctum Cyrillum acerbe excogitata erant, denuo ostendit vox haeretica eorum, qui ea iamdudum praeparaverant. Etenim iniquus Alexander, qui Mabugensium antistes erat, quique instrumentum erat furentis et insanientis linguae Theodoreti, apud Iohannem, tunc temporis episcopum antiochenum, adversus sapientem Cyrillum impie pugnans, scripsit haec: ALEXANDER: « ...cum video illum cum omni instantia et fortitudine iisdem ubique, tum in primis, tum in mediis, tum in postremis, utentem. Per quae et primitias ex mortuis factum esse Deum Verbum, et passum esse carne Deum Verbum et reviviscere Deum Verbum, et coniunctionem naturalem et unionem hypostaticam sustinuisse, et ad unam naturam devenisse manifesto praedicavit. Et pro his decertat, tanquam recte et orthodoxe se habeant, divinisque Scripturis consona sint[1].» ET POST ALIA: « Si igitur persistit in iisdem Ægyptius, et non negat quidem capitula, confitetur autem Christum, ex quo evangelizata est sancta Virgo ab angelo, Deum esse et hominem, eundem evidenter et Filium Dei propter naturam Dei Verbi et Filium hominis propter naturam, quae est ex semine Abrahae et David, id est, eundem Dominum David propter divinitatem et filium David secundum humanitatem, Deo Verbo templum suscitante a mortuis iuxta sententiam Domini nostri Christi, et usque in saecula infinita duas naturas agnitas * in uno Domino et Filio et Christo inconfuse et indivise, nos nullam communionem cum eo habemus[2].»

* p. 257.

Numquid ab istis aliquatenus distat id, quod a Chalcedonensibus definitum est: SYNODUS CHALCEDONENSIS: « Unus idemque Christus Filius Dominus Unigenitus in duabus naturis immutabiliter, inconfuse, indivise, inseparabiliter agnitus[3] »? Nonne ita et Leo scripsit: LEO: « Propter hanc ergo unitatem personae in utraque natura intelligendam[4] », rursusque: « Ut agnosceretur in eo proprietas divinae humanaeque naturae individua permanere[5] »? Sic et Nestorium iam produximus

[1] *P. Gr.*, LXXXIV, 751 (latine tantum). — [2] *Ibid.*, 752 (latine tantum). — [3] MANSI, t. VII, col. 116. — [4] *P. Lat.*, LIV, 771. — [5] *Ibid.*, 773.

dicentem: « Unus et idem, qui in increata et in creata natura conspicitur[1] », et iterum: « Non una *habetur* natura, sed duas in Christo *dari naturas* concedere coguntur[2].» Sic et Theodoretus, De inhumanatione Domini: THEODORETUS: « Sed in utraque natura unum Filium adorabimus[3].» RURSUSQUE: « Utramque enim naturam tanquam unum Filium adoramus; altera namque alteri coniuncta, Christus nominatur[4].»

Iamvero, confiteri Filium in duabus naturis conspici, manifesto in iis, quae modo apposita sunt, Alexander mabugensis dicit eorum *sententiam* esse, quos decet respuere capitula sapientis Cyrilli et confessionem coniunctionis naturalis et unionis hypostaticae et unius naturae Dei Verbi incarnatae. Quem impium Alexandrum non taeduit dicere, ut audivistis, — manet enim verbum in auribus vestris: ALEXANDER: « Deo Verbo templum suscitante a mortuis, iuxta sententiam Domini nostri Christi[5].»

Manifesto igitur aliud est Verbum Dei, quod templum suscitat, alius Dominus noster Christus, * qui hoc dixit. Frustra ergo de Christo « unum eundemque » dicunt ii, qui illum in duabus naturis definiunt. Si enim « unum eundemque » illum agnovisset Alexander, dixisset: « Deo Verbo, iuxta propriam suam sententiam, suscitante templum a mortuis ». Ipse enim dixit: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus suscitabo illud[6] », templum vocans corpus suum, ut dixit divus evangelista. Si vero is, qui suscitavit, corpori suscitato hypostatice uniebatur, rectissime seipsum suscitavisse dicitur; propria enim Verbi facta sunt ea, quae corporis propria *erant*, propter unionem ineffabilem, quin damno quolibet affectus sit in sua sublimissima substantia. Haereticis igitur ipsum unum Christum dividentibus ita curae fuit *formula* « in duabus naturis intelligitur *Christus* »; sic etiam sollicite ipsum definivit synodus chalcedonensis, reiciendo *formulam* « ex duabus naturis », et adversus confessionem unius naturae Dei Verbi incarnatae fictionibus haereticis se armando, sicut veritatis investigatio demonstravit.

* p. 258.

[1] LOOFS, p. 330. — [2] *Ibid.*, p. 329. — [3] *P. Gr.*, LXXV, 1456. — [4] *Ibid.*, 1472. — [5] *P. Gr.*, LXXXIV, 752 (latine tantum). — [6] IOH., II, 19.

CAPUT SEXTUM DECIMUM

Fusa investigatio eorum, quae in secunda epistula ad Succensum a sapiente Cyrillo scripta sunt; quae cum indoctus Grammaticus abscidisset et alio modo explanavisset, dixit *Cyrillum* non prohibuisse quominus duas naturas individuas post unionem confiteremur, 5 imo illum docere consonare huic blasphemiae assertionem unius naturae Verbi incarnatae, etsi magister manifesto clamat eos, qui duas naturas * p. 259. dicunt, adversari * illis, qui dicunt unam *naturam* incarnatam, eosque etiam cum individuas naturas dicunt, iuxta vaniloquium Nestorii id 10 dicere. Etenim individuitas[1] significativa est rectae tantum sententiae et unionis hypostaticae, cuius terminus est hoc, quod una est natura Verbi incarnata, non vero duae.

Sagacissimus autem Grammaticus, nihil horum sciens, nisi quod ignorantiam putet magnam esse rerum divinarum eruditionem, asserit duas naturas individuas dicere unum Chris- 15 tum post inexplicabilem unionem idem esse ac unam naturam Dei Verbi incarnatam confiteri; affirmat sanctum Cyrillum hoc docere et de ipso dicit: « Multam defatigationem toleravit, patrocinium formulae suscipiens eamque illustrans, sicut in epistula secunda ad Succensum significat.» Rursus ergo, si 20 placet, illud reassumemus, quamvis in antea dictis iam fuerit consideratum. Confutabitur enim ille bonus, qui lucem impugnat, et eam vocem, quam illuminatam esse dicit, cum tenebris impietatis vult miscere, minimeque credit evangelio dicenti: « Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehende- 25 runt[2].» Nam nullam esse societatem luci ad tenebras Paulus quoque proclamat[3].

Sapiens ergo magister ad verbum apponit ipsam propositionem eorum, qui duas naturas individuas post unionem confitentur, sic: CYRILLUS: « Comperio etiam aliud esse praeterea 30 quod quaeratur. Nam qui nuda carne dicit Dominum passum, irrationabilem et non spontaneam facit passionem. Si quis autem dixerit eum cum anima intelligente passum, ut passio * p. 260. sit * spontanea, nihil prohibet quominus dicat eum natura

[1] τὸ ἀδιαίρετον. — [2] IOH., I, 5. — [3] Cfr II *Cor.*, VI, 14.

humanitatis passum esse. Quod si verum est, quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise? Itaque, si quis dicit « Christo igitur passo pro nobis carne[1]», nihil aliud dicit nisi « Christo igitur passo pro nobis in nostra 5 natura[2]». Ecce quam manifesto propositio duas naturas individuas post unionem confitetur. Iamvero, ad illam dirigens atque disponens solutionem et sole clarius dans responsum, magna voce clamat: CYRILLUS: « Adversatur iterum et nihilo minus propositio iis, qui unam dicunt esse naturam Filii incar- 10 natam, idque ineptum volentes ostendere, ubique conantur duas naturas subsistentes ostendere[3].» Postea erroris causam affert, et dicit unam naturam Dei Verbi incarnatam cogitatione separari. Est enim quid compositum; porro composita contemplatione tantum separari valent, ad agnoscendum differentiam 15 secundum substantiam eorum, ex quibus naturaliter componuntur, itemque duo quaedam diversa et heterogenea, minimeque invicem consubstantialia coniuncta esse in unum, iamque non subsistere singillatim, semote et in propria sua subsistentia, ita ut in completam et perfectam diversitatem inter se remo- 20 veantur, duoque post cogitationem unionis dicantur ea, quae in dualitate non subsistunt. Una enim ex duobus est hypostasis et natura Verbi incarnata, sicut etiam homo nostri similis, ex anima et corpore existens ex duobus substantiali diversitate differentibus *componitur*, una autem ex utroque est natura et 25 una hypostasis.

* Si quis autem forte Gabrielem adducat in revelatione ad * p. 261. Zachariam loquentem, et deinde velit considerare quisnam uterque sit secundum naturam, quisnam secundum hypostasim, inveniet ibi non secundum contemplationem tantum ambos 30 separari, diversis nempe existentibus iis, quae in angelo et in homine videntur, sed etiam prorsus inter se distare secundum hypostases et in dualitate videri atque subsistere. Non enim Gabriel cum Zacharia componitur; iamvero, eorum est qui componuntur, separari tantum in contemplatione, ad ostensio- 35 nem differentiae eorum, quae coniuncta sunt in unionem hypostaticam, unam vero ex duobus naturam perficiunt. Hoc

[1] I PETR., IV, 1. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [3] *Ibid.*, 245.

enim etiam cum ad Eulogium scribit, dicit sic: CYRILLUS: « Sicuti habetur quoad quemlibet hominem. Constat enim ex naturis diversis, ex corpore dico et anima. Et ratio quidem et contemplatio cognoscunt differentiam; ubi vero illa univimus, unam tunc naturam hominis facimus. Itaque naturarum differentiam agnoscere non est dividere in duo unum Christum[1].» Hoc etiam hic[2] dicit, illos nempe, qui de uno et solo Christo dicunt et contra nos urgent « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise?[3] », adversari iis, qui dicunt unam naturam Filii incarnatam, gravissimoque errore decipi, putantes unam naturam Dei Verbi incarnatam non solummodo in contemplatione separari, ad cognoscendam differentiam secundum substantiam eorum, ex quibus subsistit, sed ea etiam in singulari diversitate subsistere et absolute inter se distare. Hoc enim iterum clare et valde manifesto clamat: * CYRILLUS: « At eos fugit ea omnia, quae non sola contemplatione separari solent, prorsus etiam in diversitatem distinctam omnino et singillatim a se mutuo recedere[4].»

* p. 262.

Dic ergo mihi, quid his clarius? Eos enim, qui dicunt duas naturas individuas subsistere post unionem, dixit adversari illis, qui unam dicunt naturam Filii incarnatam. Dixit eos conari ostendere duas naturas subsistentes, ut vanam et ineptam ostendant esse unius naturae Verbi incarnatae confessionem. Et ulterius dixit eos fugere se, dicendo duas naturas individuas post unionem, dividere in diversitatem distinctam et absolute separatam eum, qui secundum hypostasim ineffabili modo compositus est et sola cogitatione est separabilis.

At ridiculus iste Grammaticus, quemadmodum iam antea tacite eum notavimus, sua sponte et recens e terra, sicut unus ex fabulosis gigantibus, eruptus interpres, scripsit, interpretando effata sancti Cyrilli, illa haec esse: GRAMMATICUS: « Dicit enim « Conantur ubique duas naturas subsistentes ostendere », evidenter, *duas naturas* separatas[5].» Quis audacem illam impietatem digne deflebit? Dicentibus enim iis, qui instabant « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unio-

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 225. — [2] Id est, in epistula ad Succensum. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [4] *Ibid.*, 245. — [5] Locum non repperi.

nem indivise?[1] », magister, impietatem condemnans, dixit eos, qui hoc confitentur, adversari iis, qui dicunt esse unam naturam Filii incarnatam, dum « conantur ubique ostendere duas naturas subsistentes[2] ». Iste autem strenuus Grammaticus, sine scripto adversus scripta exsurgens, * asserit haec a sapiente Cyrillo dici adversus eos, qui duas naturas divisas dicunt, stulteque dicit hoc ex sequentibus clarum evadere, cum tamen *sequentia* adhuc magis quam haec acutum correptionis gladium in ipsum mittant. Cum enim ii, qui instabant, dixissent, — idem enim saepissime assumimus adversus tam enormem ignominiam, — « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise?[3] », eos « ignorasse » dixit magister prorsus inconsequens esse ut hoc dicerent de una natura Dei Verbi incarnata, quae « secundum solam contemplationem separari solet », dicendum autem esse de iis *naturis*, quae non « secundum solam contemplationem », sed etiam secundum rem, « in diversitatem distinctam omnimodo et singillatim a se mutuo recedunt ».

* p. 263.

At, incessabili accessu cogitationum impietatis sursum deorsum iactatus, profert Grammaticus etiam haec, quae blasphemiae ipsius repugnant: GRAMMATICUS: « His significat, si quis separationem secundum cogitationem quoad naturas nominare voluerit, hunc a recta fide a se non remotum iri[4].» Optime! Sequere perfecte magistrum divinorum dogmatum et si sola imaginatione et contemplatione differentiae separationem naturarum, ex quibus una natura Dei Verbi incarnata absolvitur, recipis, noli dicere formulam eorum, qui omnino et in diversitatem distinctam atque singillatim *eas* dividunt: « Quomodo duas naturas non dicemus subsistere post unionem indivise?»[5] Illos enim dicit Cyrillus adversari iis, * qui unam dicunt esse naturam Filii incarnatam; illos conari ubique duas naturas subsistentes dicere; illos nescivisse secundum solam contemplationem separare, deduci autem ad diversitatem singularem et omnimodam! Et non animadvertis te frustra garrire! Et calumniaris magistrum et de illo scribis: GRAMMATICUS: « Sed

* p. 264.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [2] *Ibid.*, 245. — [3] *Ibid.*, 244. — [4] Locum non repperi. — [5] *P. Gr.*, LXXVII, 244.

manifesto docet nullam prorsus haberi differentiam sive dicat quis unam naturam Dei Verbi incarnatam, sive in duabus naturis inseparabiliter unitis confiteatur Emmanuelem[1].» Et eadem verba saepissime indocte atque impie mandis, cum ipse *Cyrillus* validius quam quaelibet tuba clamet eos, qui duas naturas asserunt subsistere post unionem, adversari iis, qui dicunt unam esse naturam Filii incarnatam.

Rursusque in medium procedis, huius contradictionis immemor, et dicis: « Naturarum separationem, tanquam secundum imaginationem et contemplationem, novi[2].» Accipe igitur etiam aliam immolationem impiae audaciae! Adversatur enim magister et exemplo constituit quaenam sit virtus separationis secundum contemplationem, sic: CYRILLUS: « Sit autem nobis rursus in exemplum homo nostri similis. Duas namque naturas etiam de ipso intelligimus, animae unam, corporis autem alteram. Sed meris cogitationibus separantes et subtilibus quodam modo contemplationibus seu phantasiis intellectus differentiam apprehendentes, non seorsum ponimus naturas, neque perfecte virtutem sectionis in illas permittimus, sed unum illas esse intelligimus, ita ut illae duae *naturae* * non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur[3].»

* p. 265.

Ecce manifesto audivisti; eum, qui ex compositione est in unione individua, unusque est secundum hypostasim, cum aliquis separat, perspicit duo coniuncta ea, ex quibus naturaliter componitur; et absolute dualitatem praecedit separatio, nemoque duo intelligit quin separet. At, quando meris cogitationibus et subtilibus quodam modo contemplationibus seu phantasiis intellectus separat usque eo ut apprehendat differentiam secundum substantiam eorum quae in unum coniuncta sunt, prohibetur ulterius separare, eo quod videt eam, quae ex unione absoluta est, unam ex duobus naturam et hypostasim, scilicet Dei Verbi incarnatam, sicut et homo nostri similis ex anima et corpore *absolvitur*. Itaque illa duo, quae separatione contemplationis perspiciuntur, non iam dicuntur duo, quia non in dualitate neque in singularitatibus proprie existentibus subsistunt. Clamat enim magister, exemplo hominis individui-

[1] Locum non repperi. — [2] Item. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 245.

tatem unionis ostendens: « Itaque illae duae *naturae* non iam sunt duo, sed utraque unum animal absolvitur[1].» Quid ergo audacter dicis duas naturas indivise subsistere post unionem, cum audias: « Itaque illae duae *naturae* non iam sunt duo, sed utraque unum animal absolvitur[1] »? Dementiae re vera est ea, quae non subsistunt *ut* duo, vocare duo non separata. Tota enim oratio ad eum respicit, qui institit dicendo: « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise[2]?» Et vide * accurationem magistri. Non enim dixit « ita ut illae duae *naturae* iam non sint », quod perfectae confusionis esset atque destructionis naturarum ex quibus una *est* hypostasis et natura Filii incarnata et inhumanata, sed dixit « non sint duo ». Non enim *ut* duo subsistunt, quia non seorsum, proprie et separate unaquaeque ex naturis constituitur; dum autem sunt in compositione, absque ulla mutatione et imminutione, unum ex duobus Christum ineffabiliter absolvunt.

* p. 266.

At bonus ille Grammaticus, postquam illa effata sapientis Cyrilli adduxit, et absurdas immundasque explicationes suas inepte et infirme super verba evomuit atque, ut dixit Isaias propheta[3], bibendum dedit spiritum erroris et inebriatur et vomit simul, scribit de nobis: GRAMMATICUS: « Quibus velut validissimis *argumentis* nituntur, tanquam dicente beato Cyrillo contrariam esse assertionem duarum naturarum hypostatice unitarum assertioni unius naturae Verbi incarnatae. Eos autem latet vigilantia circa dispensationem divinam sapientis magistri, qui a separatione et ab hoc, quod duae naturae in propria subsistentia dicantur, seipsum avertit, ut ex sermone eius evidens fit iis, qui non penitus excaecantur iuxta prophetiam, quae sic dicit: « Palpabunt parietem quasi caeci, et quasi non habentes oculos palpabunt[4]».

Sed nos, caeci, ut tibi placet dicere, palpantes parietem impietatis tuae et edocti ab eo, qui caecos erudit[5], invenimus te oculum ignorantiae * infigentem iudaico medio parieti qui, ut scriptum est[6], solutus est ab Emmanuele pro fidelibus, non vero pro iis qui, sicut tu, in iudaismo sunt et velamen habent super

* p. 267.

[1] Cfr *P. Gr.*, LXXVII, 245. — [2] *Ibid.*, 244. — [3] ISAI., XIX, 14. — [4] Locum non repperi; ISAI., LIX, 10. — [5] *Psalm.* CXLV, 8. — [6] *Ephes.*, II, 14.

cor suum [1], et putant se videre, et usque hodie ea, quae olim in evangelio scripta sunt, dicunt ad illum: « Numquid et nos caeci sumus? »; quibus respondet dicens, quia lux est et virtus et sapientia Dei: « Si caeci essetis, non haberetis peccatum. Nunc vero quia dicitis: Videmus, peccatum vestrum manet [2]. » Quod etiam per Isaiam prophetam proclamabat, dicens: « Surdi audite, et caeci intuemini ad videndum. Et quis caecus, nisi servi mei, et surdi, nisi qui dominantur in illis? Et excaecati sunt servi Dei. Vidistis pluries et non servastis aures apertas, et non audistis [3]. » Tu igitur, si a sensu non excidisses, si non sicut illi in tenebris esses, idque dum gloriaris te inter servos Dei reputari et reponi, et putares te videre atque, subiectus et servus et impietate detentus, te liberum esse iterum Iudaeorum instar, qui non animadvertebant servitutem in peccatis et dicebant: « Semen Abrahae sumus et nemini servivimus unquam [4] », — orares, ut ait divus Daniel, ad eum qui « dat sapientiam sapientibus et intellectum scientibus prudentiam, et revelat profunda et abscondita, et cognoscit quae in tenebris [5] », et supplicares dicens « Illumina oculos meos, ne obdormiam in mortem [6] », et « Revela oculos meos ut videam mirabilia tua de lege tua [7] ».

* p. 268. * At, non sic tu, minime! « Acquirere enim sapientiam non poterit, qui cor non habet », dicit sacer liber Proverbiorum [8]. Nam qui auditum suum occludit et verbis divinis non obedit, cor suum, ut ita dicam, evellens, perceptione cogitationum spoliatur, qua efficitur ut erubescat quis, correptionibus se submittat, verba castigationis suscipiat atque ad id, quod convenit, instituatur; etenim, notum est intellectum esse moderatorem sensuum corporis, ad audiendum et videndum ea, quae conveniunt, scilicet ipse est qui per illos *sensus* et audit, et videt, et alia similiter facit. Cuius rei testis verus et indubius est Ieremias propheta, praestat autem dicere: is, qui in illo loquitur. Dixit enim ad filios Israel: « Audite autem haec, popule stulte et absque corde: oculos habent, et non vident; aures

[1] II *Cor.*, III, 15. — [2] IOH., IX, 40-41. — [3] ISAI., XLII, 18-20. — [4] IOH., VIII, 33. — [5] DAN., II, 21-22. — [6] *Psalm.* XII, 4, — [7] *Psalm.* CXVIII, 18. — [8] *Proverb.*, XVII, 16.

habent, et non audiunt [1]. » Quibus dictis, clarius illustrat effatum addendo, aliis interiectis: « Huic autem populo factum est cor indocile et incredulum [2]. » Proinde absque corde est is, cuius cor incredulum est et insensibile et durum.

Cur ergo, o Grammatice, qui teipsum videre existimas et ideo es absque corde, abscidisti et in lamentabili tuo libello omisisti propositionem, ad quam sapiens Cyrillus orationem dirigit et exinde putas te correptionem vitaturum? Eos enim, qui duas naturas dicunt subsistere indivise post unionem, — quod sursum deorsum iactas te confiteri, — manifesto condemnavit magister tanquam adversantes iis, qui dicunt unam esse naturam Filii incarnatam, * et tanquam in diversitatem distinctam et omnino separatam et in hypostases secundum propriam subsistentiam a se mutuo remotas dissecantes naturas, ex quibus est Emmanuel. Quaenam est ergo haec propositio? iterum enim recitabimus illam propter audaciam *tuam*: HAERETICI: « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise [3]? » Quid autem ad illam respondet sapiens in divinis? CYRILLUS: « Adversatur iterum et nihilominus propositio iis, qui unam dicunt esse naturam Filii incarnatam, idque ineptum volentes ostendere, ubique conantur duas naturas subsistentes ostendere. At eos fugit ea omnia, quae non sola contemplatione separari solent, prorsus etiam in diversitatem distinctam omnino et singillatim a se mutuo recedere [4]. » * p. 269.

Itaque, si propositionem non abscidisses, scivisses eos, qui confitentur duas naturas individuas post unionem, a sancto Cyrillo damnatos esse, quod secundum propriam subsistentiam illas *naturas* subsistere dicant atque quoad omnia perfecte a se mutuo remotas, neque sensu carens [5], rursus in me orationem dirigens scripsisses: GRAMMATICUS: « Sed dicit: Ad vesaniam nestorianorum respiciens, beatus Cyrillus, in secunda etiam epistula ad Succensum, non permittit dicere duas naturas post unionem. Cur ita in apertis comminisceris, o homo? In quanam parte epistulae respuit dicere in duabus naturis unitis Emmanuelem? At, non vales tale quid ostendere, quamvis sis astutus sophista! In hac enim * epistula pugnat beatus Cyrillus adver- * p. 270.

[1] IEREM., V, 21. — [2] *Ibid.*, 23. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [4] *Ibid.*, 245. — [5] ἀπαθής?

sus eos solos, qui non annuunt dicere unam naturam Dei Verbi incarnatam, sed solummodo *formulam* « in duabus *naturis* » recipiunt, quae malae sententiae indicium est, si altera confessione destituatur, ut ostensum est[1].»

Recte, o strenue, finxisse tibi videmur ea, quae abscidisti. Si ergo interrogas: Grammaticus: « In quanam parte epistulae respuit dicere in duabus naturis unitis Emmanuelem?»[2], prompte et firmiter respondeo: in ea *parte*, quae a te impiissime et inerudite abscissa est, quia putasti te exinde correptionem vitaturum. Scribe enim in indocto tuo libello propositionem eorum, qui consentanea tuis *sententiis* sentiunt, et videbis apertam reiectionem impietatis. Quaenam est ergo haec propositio? Placet enim adversus audaciam tuam, quae frustra circumfertur, semper dicere, quo magis appareas inique pertinax. « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise[3]?» Quaenam autem est reiectio? « Adversatur iterum et nihilo minus propositio iis, qui unam dicunt esse naturam Filii incarnatam[4].»

Quid hac reiectione manifestius? Adversantes ostendit iis, qui unam dicunt esse naturam Filii incarnatam, eos qui confitentur duas naturas individuas post unionem. Haec igitur, dic mihi, suntne dolosa sophistice? Quid autem? Nonne invincibilis est virtus veritatis, quae ipsas res manifesto ostendit? Sed numquid * putas differentiam haberi inter hoc « individuas dicere naturas post unionem » et illud « unitas illas confiteri »? At tu ipse istis formulis indifferenter usus in toto tuo libello videris! Et modo quidem « individuas », modo autem « unitas » *eas* vocas! Et de synodo chalcedonensi, quae « in duabus naturis individuis » definivit, scripsisti: Grammaticus: « Ab imis enim dementiam Eutychetis, qui naturam nostram tandem non confitetur in Emmanuele, evellit dicendo duas naturas unitas[5].» Sic nihil tibi distare videtur, sive « individuas », sive « unitas » dicas; nam si putasses distare, cum Chalcedonenses « naturas individuas » scripserant, « unitas » illas non dixisses illos scripsisse. Sic etiam Nestorium adduximus, qui scripsit: Nes-

* p. 271.

[1] Locum non repperi. — [2] Item. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [4] *Ibid.*, 245. — [5] Locum non repperi.

torius: « Ego vero, id est, persona ecclesiae, quibuscumque loquor, idem coram omnibus profero, perfectum Deum et perfectum hominem vocans Christum, naturas non commixtas sed unitas[1].» Ipse autem Andreas similiter scripsit: « Et simulato timore fugientes confessionem duarum naturarum unitarum, unam *naturam* prorsus destruunt[2].»

Quomodo igitur non omnem audaciam et impietatem deprehenderis excedens, qui non tantum repellis reiectionem sancti Cyrilli, quae respuit dicere duas naturas post unionem damnando eos, qui hoc confitentur tanquam adversantes iis, qui unam esse dicunt naturam Filii incarnatam, sed affirmas conatum esse magistrum istas voces inter se pugnantes, in unum reducere tanquam consonantes * sibi, ita ut qui Christum in duabus naturis individuis dicerent, annuerent dicere etiam unam naturam Dei Verbi incarnatam? Quod si haec intentio fuisset, dicentibus iis, qui instabant: « Quomodo duas naturas, non concedemus subsistere post unionem indivise?[3]», debuisset dicere peritissimus rerum divinarum pastor: « Itaque annuite etiam dicere unam naturam Filii incarnatam ». Quia vero noverat contrariam et repugnantem esse assertionem duarum naturarum post unionem confessioni unius naturae Dei Verbi incarnatae, adversitatem proclamavit et dixit: « Adversatur iterum et nihilo minus propositio iis, qui unam dicunt esse naturam Filii incarnatam[4].»

* p. 272.

Sed rursus in medium procedis et voces atque doctrinas innovas, dicens: « Duas naturas dicamus unitas.» Ostende igitur sanctum Cyrillum usquam in suis scriptis dixisse: « Itaque post unionem duas naturas esse dicimus hypostatice unitas, id est individuas ». At nusquam videtur hoc dixisse, quia tale quid indoctum, absurdum et impossibile esse docet. Contra, ubique, praemissa separatione secundum cogitationem et solam contemplationem differentiae secundum substantiam, dicit: Cyrillus: « Quapropter ea, ex quibus est unus et solus Filius Dominus Iesus Christus velut in cogitationibus apprehendentes, duas quidem naturas unitas esse dicimus; verum, post unionem,

[1] Loofs., p. 332. — [2] Locum non repperi. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [4] *Ibid.*, 245.

tanquam sublata iam in duas sectione, unam credimus esse *naturam Filii, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati [1].» Rursusque: « Cum itaque modus incarnationis studiose inquiritur, duo inter se ineffabiliter et inconfuse secundum unionem coniuncta videt prorsus intellectus humanus; attamen, ubi unita sunt, nullo modo *ea* disiungit, sed unum, qui ex duobus, et Deum et Filium et Christum et Dominum esse credit et inconcusse admittit [2].» Et alibi: « Itaque quantum attinet ad intellectum et ad contemplandum tantummodo oculis animae quomodo inhumanatus sit Unigenitus, duas naturas esse dicimus quae unitae sunt, unum autem Christum et Dominum et Filium Verbum Dei inhumanatum et incarnatum. Et, si placet, accipiamus in exemplum compositionem nostram, secundum quam homines sumus. Ex anima namque et corpore componimur, videmusque duas naturas, alteram quidem corporis, alteram autem animae; sed unus ex ambobus secundum unionem homo [3].» Et iterum: « Sit autem nobis rursus in exemplum homo nostri similis. Duas namque naturas etiam de ipso intelligimus, animae unam, corporis autem alteram. Sed meris cogitationibus separantes et subtilibus contemplationibus seu phantasiis intellectus differentiam apprehendentes, non ponimus seorsum naturas, neque rursus totam virtutem sectionis in illas permittimus, sed unum illas esse intelligimus, ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur [4].» Et alibi: « Una enim iam concipitur natura post unionem, ipsius *nempe* Verbi *natura* incarnata, sicut etiam de nobis ipsis convenienter intelligitur. Homo enim unus est *re vera, compositus ex dissimilibus rebus, ex anima, inquam, et corpore [5]. »

* p. 273. * p. 274.

Ecce cuilibet planum est clare videre in iis, quae magister sapienter enarrat, per separationem secundum cogitationem tantum et contemplationem differentiae secundum substantiam eorum, ex quibus *est* Christus, nos percipere duas naturas unitas esse, et nisi separet quis eum, qui ineffabiliter et inconfuse componitur, duas *naturas* videre vel dicere non poterit. At,

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 192. — [2] *Ibid.*, 193. — [3] *Ibid.*, 232. — [4] *Ibid.*, 245. — [5] *P. Gr.*, LXXVI, 60.

post unionem unam esse naturam Filii incarnatam dicit, unumque, qui ex duobus, et Deum et Dominum et Filium et Christum. Neque dixit usquam, sicut ignara tua licentia: « Verum, post unionem duas naturas hypostatice unitas dico ». Et illi ipsi, qui in Chalcedone congregati sunt, quorum gloriaris te esse advocatum, quibusque *tanquam* dignam poenam imponis ineruditionem et immunditiam apologiae tuae, non scripserunt duas naturas hypostatice unitas, quemadmodum tu dicis, sed duas naturas individuas confitentur; quod etiam confitebantur ii, qui propositionem adversus mystagogum rerum divinarum Cyrillum iterabant « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise? [1] », sed audiebant se, hoc dicendo, confiteri unionem iuxta vaniloquia Nestorii [2], cuius genimen est dualitas, minime vero *unionem* veram et individuam, quae est hypostatica, cuius terminus est « unum ex duobus »: Cyrillus: « Proinde illa duo iam non sunt duo, sed ex utroque absolvitur una persona, una hypostasis, una natura Filii incarnata et inhumanata [3].»

*Ideo itaque maledictam eorum astutiam expandens, proclamavit: Cyrillus: « Illud autem « inseparabiliter [4]» ab ipsis additum censetur quidem apud nos rectae fidei signum esse; illi autem non ita intelligunt. Etenim « inseparabiliter » apud illos secundum vaniloquia Nestorii alio modo accipitur. Nam dicunt honoris aequalitate, voluntatis identitate et auctoritate inseparabilem esse a Deo Verbo hominem, in quo habitavit. Itaque haud simpliciter verba proferunt, sed cum dolo et quadam malitia [5].» Ut enim etiam per ea, quae antea a nobis considerata sunt, iam notum est, ex termino agnoscitur quaenam falsi nominis sit unio et quaenam vera, individua et hypostatica. Etenim, duas quidem dicere naturas post unionem, signum est falsae et relativae unionis et complementum falsae usurpationis nominis unionis, et verbo tenus suadet individuas esse aequalitate honoris et benevolentia naturas, quae dualitate dividuntur. Confiteri vero unam naturam Dei Verbi incarnatam, et unum, qui ex duobus, Dominum et Deum et Filium et Christum, sicut etiam hominem nostri similem ex anima et

* p. 275.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [2] *Ibid.*, 245. — [3] Cfr *ibid.*, 245. — [4] ἀδιαιρέτως. — [5] *P. Gr.*, LXXVII, 245.

corpore *constantem*, ita ut ea, quae quoad differentiam substantiae in contemplatione tantum videntur duo, iam non sint duo, sed ambobus unum animal absolvatur; signum est atque complementum unionis hypostaticae, naturalis et verae, cuius proprium est nomen illud « inseparabilis » et « insigne rectae fidei ».

Quod indicat sapiens Cyrillus, in tomo secundo adversus blasphemias Nestorii, sic: CYRILLUS: * « Explica mihi rursus quidnam dicas esse inseparabilem unionem. Unitatemne, hypostaticam nimirum quam ipsi confitemur, pro veritatis dogmatibus certantes, an vero hanc quae secundum appositionem et alicuius ad aliquid vicinitatem intelligitur? Nam sic etiam Scriptura inspirata vocem accipit. Dixit enim ad sacratissimum Mosen, de veteri illo tabernaculo loquens: « Et facies fibulas quinquaginta aureas et aptabis cortinas alteram alteri fibulis[1].» Sic ergo hypostaticam quidem unionem vocat individuam, eum autem, qui unione absolvitur, unam naturam Dei Verbi incarnatam. Nusquam dixit post unionem proclamandum esse duas naturas individuas et hypostatice unitas, sicut tu nove decernens indocte ausus es dicere, o Grammatice. Eos enim, qui dixerunt « Quomodo duas naturas non dicemus subsistere post unionem indivise?», manifesto condemnavit magister, dicendo: CYRILLUS: « Illud autem « inseparabiliter » ab ipsis additum, censetur quidem apud nos signum rectae fidei esse; illi autem non ita intelligunt. Etenim « inseparabiliter » apud illos secundum vaniloquia Nestorii alio modo accipitur[2].»

* p. 276.

Aut ergo aliquis, dum duas naturas dicit subsistentes post unionem illas utique individuas dicit, sed ex vaniloquiis Nestorii hanc speciem sententiae tribuendo, aut dum unionem hypostaticam confitetur, sapienti Cyrillo adhaeret et credit, dicenti: * « Una enim iam concipitur post unionem natura, ipsius *nempe* Verbi *natura* incarnata[3].» Etenim impiae audaciae est confiteri quidem dualitatem naturarum, quae est genimen unionis habitudinalis, dicere vero « Hypostaticam unionem sentio atque confiteor ». Nam ex genimine prorsus agnos-

* p. 277.

[1] *Exod.*, XXVI, 6; *P. Gr.*, LXXVI, 84. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 245. — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 60.

citur genitrix; generatur autem, id est, absolvitur, ex illa unione vera et naturali et individua et hypostatica τὸ « unum ex duobus», non autem τὸ «duo». Clamat enim sapiens magister, postquam attulit, ad illustrandam sectionis absentiam quoad Emmanuelem, exemplum hominis nostri similis: « Proinde illae duae *naturae* iam non sunt duo, sed utraque unum animal absolvitur[1].» Composita enim in sola contemplatione separari solent et consideranti atque inspicienti unionem, ostendunt secundum subtilissimam pro posse intelligentiam quid sit secundum substantiam unumquodque illorum, ex quibus naturaliter et absque ulla confusione *totum* compositum est. At, post significationem differentiae ingressa cogitatio unionis cohibet separationem et impedit quominus adhuc duo dicantur post unionem ea, quae in contemplatione *ut* duo apparuerant, propterea quod ex utroque absolvitur et subsistit una natura et hypostasis, minimeque seorsum et in propria subsistentia removetur unaquaeque ex naturis.

CAPUT SEPTIMUM DECIMUM

Quod sancti Cyrilli institutionibus ducti, absque fraude intelligimus verba sanctorum Iulii et Ambrosii, * Tomo Leonis manifesto opposita, quae Grammaticus et Scythopolitanus, advocati impietatis facti, mutaverunt, in sancta et universali synodo ephesina recitata. Perfecta narratio de fictione eorum digna haereticis.

* p. 278.

Eximiis expeditisque verbis et institutionibus sancti Cyrilli adhaerentes, priorum quoque sanctorum Patrum et Doctorum verba possumus absque errore et fraude intelligere. Nam et ipse, ad monachos scribens, dicebat: CYRILLUS: « Sic sentire a sanctis Patribus edocti sumus[1] », et ad Nestorium scribebat: « Sequentes autem ubique sanctorum Patrum confessiones, quas sancto in ipsis loquente Spiritu ediderunt, scopumque sententiae eorum studiose investigantes, et regia quasi via incedentes, etc.[2]». Quapropter, divi Iulii, qui fuit episcopus ecclesiae romanae, effatum legentes, ab illo prolatum in oratione cui

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 245. — [2] *Ibid.*, 13. — [3] *Ibid.*, 109.

titulus « De unione in Christo corporis ad divinitatem Verbi », quod iam semel atque iterum attulimus: Iulius: « Proclamatur autem in eo hoc quidem esse creatum in unione increati, illud autem increatum in coniunctione creati, una natura ex utraque parte subsistente[1] », et ducti sapientis Cyrilli expositione, illud intelligimus. Et meris cogitationibus separantes, seu phantasiis intellectus differentiam apprehendentes, duas in illo naturas intelligimus, creatam unam increatam autem alteram[2]. Neque enim aliter possemus duo perspicere, nisi praecessisset separatio meris cogitationibus *facta*. Apprehendentes * autem simul cum cogitatione *separationis* indissolubilitatem unionis, tanquam sublata iam in duo sectione, post cogitationem unionis unam ex duobus absolutam videmus naturam et hypostasim Verbi incarnatam.

Eodem sensu celeberrimi patris Ambrosii, qui fuit episcopus mediolanensis, *verba* intelligimus et accipimus, quae in actis Ephesi adversus Nestorium sapiens Cyrillus attulit, hoc modo se habentia: Ambrosius: « Si mihi non credant, credant Apostolo, qui dixit: « Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum et factus est ex muliere, et factus est sub lege[3] ». Filium suum dicit, non unum ex multis, non communem, sed *voce* « suum » aeternitatem aeternae suae prolis significavit. Hunc postea « factum esse ex muliere » contexit, ad istud « factus est » non divinitati, sed corpori assumpto, tribuendum. Factus ex muliere: per carnem assumptam. Factus est sub lege: per legis custodiam, nam divina eius generatio ante legem, haec post legem[4]. » Rursusque: « Sileant igitur inanes de sermonibus quaestiones, quia regnum Dei, ut scriptum est[5], non in persuasione humanorum verborum est, sed in ostensione virtutis. Servemus lectionem divinitatis et carnis. Unus in utroque loquitur Filius Dei, quia in eo utraque natura est. Idem loquitur, non tamen semper uno modo loquitur. Intende in eo nunc quidem gloriam Dei, nunc autem passiones hominis, quia ut Deus docet divina, quia Verbum est, sed ut homo loquitur humana, quia in mea substantia loquebatur. Hic est panis

[1] Lietzmann, p. 187. — [2] Haec verba Severi: « differentiam ...alteram » graece leguntur *P. Gr.*, LXXXVI, 1845. — [3] *Galat.*, iv, 4. — [4] Mansi, t. IV, col. 1189. — [5] I *Cor.*, ii, 4.

vivus qui descendit de * coelo[1]; hic panis caro eius est, sicut ipse dixit « Panis, quem ego dabo, caro mea est[2] »; hic est, qui descendit; hic est, quem Pater sanctificavit et misit in mundum[3]. Neque Scriptura nos docet divinitatem eius sanctificatione indiguisse, sed carnem[4]. »

Cum his etiam ponantur verba Iulii, et inter se conferantur verba utriusque doctoris. Dixit Ambrosius: « Quia in eo utraque natura est ». Dixit Iulius: « Proclamatur autem in eo hoc quidem esse creatum in unione increati, illud autem increatum in coniunctione creati. » His statuitur separatio secundum cogitationem solamque contemplationem, quae intelligendam praebet differentiam secundum substantiam eorum, quae inconfuse unita sunt. Quid est autem quod ex unione absolvitur? Unum ex duobus. Hoc etiam divus Iulius docuit, coniunctim addendo: Iulius: « Una ex utraque parte natura subsistente, particularem operationem Verbo quoque adimplente in totum cum divina perfectione; quod de homine communi: ex duabus partibus imperfectis fit, et unam naturam perficit et uno nomine designatur[5]. » Cum his conferamus Cyrillum, eorum discipulum et expeditae accurationis interpretem. Quid ergo scripsit Ambrosius? « Quia in eo utraque natura est ». Quid autem rursus et Iulius? « Proclamatur autem in eo hoc quidem esse creatum in unione increati, illud autem increatum in coniunctione creati ». Quid autem cum illis dicit Cyrillus? « Sit autem nobis rursus in exemplum homo nostri similis. Duas namque naturas etiam de ipso intelligimus, alteram quidem * animae, alteram autem corporis. Sed ubi meris cogitationibus separavimus et subtilibus contemplationibus seu phantasiis intellectus apprehendimus differentiam, non seorsum ponimus naturas, neque rursus totam virtutem sectionis in illas permittimus, sed unum illas esse intelligimus, ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur[6]. »

Cur ergo sanctorum Patrum institutionibus, ut eas in adversam partem dirigant, vim inferunt, ut ipsis placet, ii qui dicunt duas naturas individuas subsistere post unionem et respuunt ex duobus confiteri unum Christum, minimeque sequuntur sanctum

[1] Cfr Ioh., vi, 41. — [2] *Ibid.*, 51. — [3] *Ibid.*, x, 36. — [4] *P. Lat.*, XVI, 576. — [5] Lietzmann, p. 187. — [6] *P. Gr.*, LXXVII, 245.

Cyrillum dicentem: « Ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum absolvatur »? *Cur* etiam conantur compositum, quod in cogitatione tantum separatur, ita ut in subtili quodammodo contemplatione agnoscatur differentia secundum substantiam eorum, quae in idem concurrerunt per coniunctionem secundum unionem naturalem, etiam secundum subsistentiam efficere separatum et duas naturas subsistentes ostendere et adversari iis, qui unam esse dicunt naturam Filii incarnatam? Ecce enim perpetua memoria dignus Ambrosius usque ad differentiam secundum substantiam novit separationem in subtili tantum contemplatione *factam*, non autem divise et omnimodo separantem dualitate naturarum post unionem illum, qui ineffabiliter per individuam unionem absolutus est. Eundem esse Filium Dei dixit, qui utroque modo loquitur et ut Deus * quidem docet divina, quia Verbum est, sed ut homo idem humanitus patitur et loquitur, quia cum in substantia nostra apparuit et revera homo factus est, humana loquebatur. Illum enim, cum Deus esset, manifestatum esse in carne audivimus Paulum docentem [1].

* p. 282.

Neque indiguit divus Ambrosius, sicut Tomus Leonis, sermones utrique naturae distribuere atque dicere: Leo: « Non eiusdem naturae est dicere « Ego et Pater meus unum sumus », et dicere « Pater meus maior me est [2] ». Sciens autem unum eundemque Deum et hominem non dissectum duplicitate naturarum post unionem, non dividit naturis sermones, sed agnoscit differentiam eorum. Quidam enim illorum sunt Deo digni, quidam autem humani; proferebat autem illos *omnes* unus et solus Christus Deus inhumanatus, — qui etiam nostram indigentiam suscepit et sanctificatus esse secundum carnem dicitur, ut nobis tanquam principium generis immitteret gratiam, ipse sanctitatis largitor existens, — non autem quosdam quidem divina, quosdam autem humana natura loquebatur. Quid ergo etiam dicit? Ambrosius: « Unus in utroque loquitur Filius Dei, quia in eo utraque natura est. Idem loquitur, non tamen semper uno modo loquitur. Intende in eo nunc quidem gloriam Dei, nunc autem passiones hominis, quia ut Deus docet divina, quia

[1] Cfr I *Tim.*, III, 16. — [2] *P. Lat.*, LIV, 769.

Verbum est, sed ut homo loquitur humana, quia in mea substantia loquebatur. Neque enim humanitus loquebatur nisi quia manifestatus est, ait, in carne [1]. »

* p. 283.

* Cum his rursus conferamus *verba* sancti Cyrilli, concordiam ostendentes interpretum rectae fidei, qui uno spiritu certant cum iis, qui dicunt duas naturas individuas subsistere post unionem et utrique naturae dividunt sermones. Nam in apologia ad reprehensionem Theodoreti adversus quartum capitulorum, — quae sunt anathematismi, — scripsit sic: Cyrillus: « Melius autem dixerim et longe eruditius esse voces humanas referre non ad alteram personam magis, quae intelligatur proprie et seorsum Filius, ad formam servi, sicut illi dicere solent, sed illas potius tribuere mensuris humanitatis eius. Oportebat enim eum, cum sit Deus simul et homo, per utrumque sermonem procedere [2]. » Rursusque post pauca: « Itaque vicissim audiet et a nobis, qui tam adulterinis cogitationibus natat: Ergo quoniam tibi videtur a Deo Verbo tales sermones amovendos esse, referendos autem ad solam formam servi, nonne in duos iterum filios unum dividis? Et cuinam recte sentientium hoc non est perspicuum? [3] » Etenim duplicitas, post unionem, formarum seu naturarum, quae manifesto est divisio, utramque naturam in propria persona ostendit, dum utrique dividit sermones ipsi congruentes; quod nihil aliud est nisi Emmanuelem impie dissecare et duos filios constituere.

Cum autem ita se haberent verba sancti Ambrosii, et absque fraude illa adduxisset sapiens Cyrillus et in commonitoriis coram synodo sancta * et universali Ephesi *congregata* recitata fuissent, ausus est Grammaticus, falsarius atque sacrilegus, locum mutare et mutatum apponere in blasphemo et lamentabili libello, cum nullum, ne sic quidem, ex falsatione lucrum faceret, siquidem redarguitur id, quod mendaciter mutatum est, parte genuina. Attamen, cum falsum committeret, putaretque falsum sibi ad id, quod placuerat, profuturum, fraudulenter posuit sic: Grammaticus: « Servemus differentiam carnis et divinitatis. Unus enim Deus Filius in utraque loquitur, quia utraque natura in illo loquitur; et ipse loquitur, *sed* non uno modo

* p. 284.

[1] *P. Lat.*, XVI, 576. — [2] *P. Gr.*, LXXVI, 413. — [3] *Ibid.*, 417.

semper loquitur. Vides enim in illo nunc quidem gloriam Dei, nunc autem passiones hominis. Ut Deus loquitur divina, quia Verbum est; ut homo loquitur humana, quia in hac natura loquitur[1]. » Verborum igitur in multis mutationem is, qui occurrerit et inter se contulerit atque scrutatus fuerit adulterata et genuina, sola lectione agnoscet. Quae vero sibi ad impietatem profutura putat, sunt haec: genuino nempe effati tenore sic se habente « Servemus τὴν ἀνάγνωσιν divinitatis et carnis », ipse mutavit *et scripsit* « Servemus τὴν διαφοράν carnis et divinitatis », et putavit miser differentiam secundum substantiam carnis et divinitatis secum etiam inducere divisionem; secus enim, nisi sua industria hoc obtineret, quid ipsi falsum prodesset?

Neque mea est reprehensio, sed eximii Cyrilli, qui totam machinationem huius impietatis reprehendit, et ad Diodorum scripsit sic: CYRILLUS: « Proinde, etsi nemo dicit semen David ex ipsa substantia Dei et Patris natum esse, quemadmodum et ipsum Unigenitum, attamen * virtus unionis inconfuse et immutabiliter factae aufert divisionem. Is autem rursus, quia secundum rationem qualitatis naturalis caro non est Unigenitus, neque Verbum caro, haud recte dividit atque alium et alium esse ponit, et duos filios confitens, coniunctionem relativam illis tribuit, et vix quidem, aut forsan usquam errare etiam nonnullos censet, quia carnem non transferunt mutabiliter ad naturam Verbi, neque vicissim ipsum Verbum deiciunt ad consubstantialitatem carnis ipsi unitae[2]. » ET POST ALIA: « Et adversus eos, qui inconfusam unionem confitentur, exsurgens, non erubescis sursum deorsum omnia perturbare; et alterius naturae carnem esse ostendis, quoad Deum Verbum dico; et si quis hoc tecum confiteatur ab ignorantia Synousiastarum recedens, statim in duo unum dividis[3]. »

* p. 285.

Cum hac ignorantia sese gerens bonus ille Grammaticus et ex differentia putans induci divisionem sectionis in duo, mutavit locum et pro *verbis* « Servemus τὴν ἀνάγνωσιν carnis et divinitatis », finxit *verba* « Servemus τὴν διαφοράν carnis et

[1] Cfr *P. Gr.*, LXXXIII, 185. — [2] PUSEY, t. III, p. 501 (syriace tantum). — [3] *Ibid.*, p. 502 (item).

divinitatis ». Rursus, cum hoc in loco habeatur « εἷς ἐν ἑκατέρῳ λαλεῖ ὁ τοῦ θεοῦ υἱός », ipse mutavit *in* « Unus enim Filius Dei ἐν ἑκατέρᾳ λαλεῖ », et putavit exinde utramque naturam tanquam ex propria persona loquentem induci. Hoc autem ne ipsum quidem figmentum potest evincere; neque enim fingendo dixit « ἀμφότεραι φύσεις λαλοῦσι », vel: « ἑκατέρα φύσις λαλεῖ » sed « εἷς λαλεῖ ὁ τοῦ θεοῦ υἱός ». Proinde, inane iam est opus * adulterationis. Nam si unus loquitur divina et humana, qui est per naturam Filius Dei, qui idem est Deus et homo, id est, Deus inhumanatus, quid te iuvet commentum, cogitare aut dicere nequeo. Et si etiam una quidem ex naturis est divinitas Verbi, altera autem proculdubio humanitas, quomodo stolidum et incongruum, tum quoad verbum, tum quoad cogitationem, non est dicere Filium Dei divinitate loqui? Bene autem dicet quis Filium Dei modo Deum decenti loqui, eundemque hominem per oeconomiam factum, manendo Deum, etiam modo humano loqui.

* p. 286.

Ideo ergo divus Ambrosius etiam addidit « Idem loquitur, et non semper uno modo loquitur ». Proinde etiam id, quod supra dicitur: « Unus in utroque loquitur Filius Dei », ex hoc manifesto illustratur; « utroque modo » dicit, et causam addit « quia in eo, ait, utraque natura est ». Etenim « proclamatur in eo », iuxta verbum divi Iulii, « hoc quidem esse creatum in unione increati, illud autem increatum in coniunctione creati, una natura ex utraque parte subsistente[1] ». Ideo igitur etiam « ut Deus docet divina, quia Verbum est; ut homo autem loquitur humana, quia in substantia mea loquebatur[2] ». Cum enim manifestatus est in carne, iuxta verbum Pauli, et in substantia nostra homo revera factus est, non vero in phantasia apparuit, loquitur humana.

Itaque a Grammatico tam audacter adulterationis opus patratum est. Iamvero Iohannes scythopolitanus, * eadem ac ille insania correptus, pro synodo chalcedonensi apologiam scripsit in longissimo libro, quem etiam celare voluit, timens confutationem; et suis quidem illum tradidit, diligentiam autem haud parvam adhibuit, ne in manus nostras incideret. Iterum ac

* p. 287.

[1] LIETZMANN p. 187. — [2] *P. Lat.*, XVI, 576.

saepius partes illius obtinui, nonnullis studiosis clam exscribentibus. Sed quia omnino non potueram illum integrum obtinere, libellum autem Grammatici integrum inveneram, huncque animadverteram eodem impietatis fermento depstum esse, solaque loquacitatis abundantia illi libro cedere, virtute autem eundem esse, ita ut duo scriptores censerentur unus esse, adversus eum *librum* qui non ex parte, sed integer in manus meas devenerat, mihi confutationem faciendam esse putavi, et in utrumque reprehensionis et veritatis gladium educendum. Nunc vero huius quoque libri quidam exemplar integrum amice descripsit mihique dedit. Quem cum accepissem, ipso ut ita dicam temporis momento quo haec scribebam, — Deo audiente loquor, — illumque aperuissem, inveni appositum hunc Dei amantissimi Ambrosii locum cum ipsa adulteratione quacum etiam Grammaticus illum afferre ausus est. Et stultitia quidem atque culpa adulterationis est aequalis, nam ex una eademque vesania processerunt; quae autem ab utroque conficta sunt, non omnino inter se conveniunt atque concordant sed in nonnullis differunt. Scripsit enim Scythopolitanus sic: HAERETICORUM IN AMBROSIUM: « Idem autem, ad * Gratianum imperatorem scribens, — [* p. 288.] adducit autem hunc locum et divus Cyrillus in apologia pro suis anathematismis contra Nestorium, — dixit sic: « Unus in utroque loquitur Filius Dei, quia in eo utraque natura est. Idem loquitur, non tamen semper uno modo. Intende in eo esse nunc quidem gloriam Dei, qui loquitur, nunc autem passiones humanas. Ut Deus loquitur divina, quia Verbum est; sed ut homo loquitur humilia, quia in natura mea loquitur[1].»

Primo igitur, fugit indoctum et impietatis supercilium extollentem quasi aliquid scientem, a sancto Cyrillo hunc venerabilis Ambrosii locum non adductum esse in apologiis quas pro anathematismis composuit, ad Andream nempe atque Theodoretum, qui turpiter ipsum vituperaverant, adductum autem eum esse Ephesi et inveniri in iis, quae contra Nestorium scripta sunt, sententia universalis synodi commendatum[2]. Secundo autem mirabitur quis maximam eius impudentiam et affectus ad impietatem. Postquam enim Cyrillum commemoravit illumque

[1] *P. Lat.*, XVI, 576. — [2] MANSI, t. IV, col. 1192.

divum vocavit, non ex voce huius divi, sed ex impio commento locum adduxit. Cum enim in libro genuino habeatur « Unus ἐν ἑκατέρῳ loquitur Filius Dei », iste sicut Grammaticus mutavit et scripsit « Unus ἐν ἑκατέρᾳ loquitur Filius Dei »[1]. Rursus, cum genuina sinceraque traditio testetur *« ἐπειδήπερ ἐν αὐτῷ ἑκατέρα φύσις ἐστίν», iste mutavit *et scripsit* «ἐπειδὴ ἐν αὐτῷ ἑκατέραι φύσεις εἰσίν». [* p. 289.] Hac autem mutatione quid magis ridiculum et stultum? Etenim *formulae* ἑκατέρα φύσις ἐστίν et ἑκατέραι φύσεις εἰσίν nihil quoad sensum inter se differunt. Sed iste et omnes qui eodem morbo laborant cum illo, impietate insanientes, ad enunciationem pluralitatis naturarum inebriantur et putant utile quid in ea, quam sollicite curant, impietate sibi effici, si lectionem singularem in pluralem mutant. Et iterum, cum in genuino libro habeatur « Intende in eo nunc quidem gloriam Dei », scripsit iste ex mendaci sua adulteratione « Intende in eo nunc quidem gloriam Dei, qui loquitur », et putavit exinde *Ambrosium* naturae divinae vocem individuam tribuere, ita ut etiam existimaret naturam humanam iam sua propria separatim loqui. At totam fictionem vanam ostendit id, quod interponitur: « Idem loquitur, et non semper uno modo ».

Edicente ergo lege divina: « Non addes ei, neque auferes ex eo[2] », etiamsi nulla mala opinio esset in commento, omni *tamen* nequitia plena esset haec audacia. Id autem, quod sanctum Cyrillum commemoravit tanquam adducentem verba venerabilis Ambrosii, transiliendo scriptum eius, in quo sententia reperitur, itemque testimonium synodi universalis, et id quod omnes eiusdem adulterationis sunt *participes* atque locum aliunde *desumptum* profitentur, quomodo non evidens est reprehensio impietatis eorum? Id autem, quod vel ipsi adulteratores non consonanter tradiderunt commentum suum, * neque inter se [* p. 290.] quidem concordes sunt, clare ostendit illos nihil fide dignum aut verum dicere. Nam si locum, de quo testimonium synodi universalis habetur, mutare non veriti sunt, quomodo censebuntur alium non adulteratum exhibere? Unde praeclarus et bonus

[1] Nota in codd.: « Dicente magistro « Unus in utroque loquitur », id est, *in utroque* modo, adversarius mutavit hoc *et scripsit* « Unus in utraque loquitur », ut *vox* tenderet in naturas, quia natura in lingua graeca feminine dicitur. — [2] *Deuter.*, XII, 32.

Scythopolitanus etiam ex illa oratione De fide a Nestorianis conficta, sed quae Ambrosii titulo et nomine esse dicitur, locos attulit, — quam *orationem* invenire est hoc titulo ornatam « Interpretatio symboli fidei et de divina inhumanatione[1]» ab aliis, qui ut commento suo fidem conciliarent, titulum « Interpretatio » excogitaverunt, ut censerentur ex Romanorum lingua in Graecorum *linguam* transtulisse ea, quae commenti erant.

Itaque, inter locos ex illa oratione adductos ab indocto Scythopolitano, hic quoque reperitur: Haeretici: « Sed coaeternus Patri suo exsistens, primitias naturae nostrae propter multam bonitatem sibi unire dignatus est, non commixtus, sed ἐν ἑκατέραις ταῖς οὐσίαις unus idemque manifestatus[2].» Quo namque commento gaudens, tanquam concordante Chalcedonensibus, qui definierunt in duabus naturis agnosci Christum, sagax iste et semetipsum orthodoxum iactans praetermisit id, quod in oratione reperitur et valet clare ostendere illam esse commentum eorum, qui vesaniae Nestorii favent, quod sic se habet: Haeretici: « Igitur postquam suscitavit templum suum Deus Verbum et in eo resurrectionem atque renovationem naturae nostrae operatus est, eam quoque Dominus noster Christus * post resurrectionem a mortuis discipulis suis ostendit, dicens: « Palpate me et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere[3]». Non dixit « sicut me videtis esse » sed « habere », ut habentem et habitum considerans, non mixtionem, non mutationem, non conversionem, sed unionem factam esse perspicias[4].» Et quis, audiendo « habentem » et « habitum », non duos filios animadvertit exinde praedicari neque clare videt hoc dictum « in duabus substantiis seu naturis agnoscitur Christus », nobis dualitatem filiorum et christorum introducere?

* p. 291.

Ita etiam, cum impius Andreas in reprehensione primi capituli scripsisset: Andreas: « Magi vero ex Perside illa *stella* deducti advenerunt, natum quaerentes, et cum invenissent illum, obtulerunt dona convenientia tum ei, qui intelligebatur, tum ei qui videbatur[5]», sanctus Cyrillus, impietatem eius redarguens, dicebat: Cyrillus: « Dona vero dicunt allata esse a

[1] Titulum non repperi. — [2] *P. Gr.*, LXXXIII, 181. — [3] Luc., xxiv, 39. — [4] *P. Gr.*, LXXXIII, 184. — [5] *P. Gr.*, LXXVI, 317.

magis tum ei, qui intelligebatur, tum ei, qui videbatur, convenientia, dividentes rursus in duo post unionem unum Dominum Iesum Christum[1].» Verum Andreas iste, qui tam impie se habet, mutuata pietatis persona indutus, in reprehensionibus quarti capituli simulate dicit haec: Andreas: « Inseparabilis enim et indivisibilis est summa unio, unusque Filius est omni ratione et modo et cogitatione. Servata vero summa unione, et proclamato uno Filio et Christo et Domino, de uno eodemque Filio accipienda sunt ea, quae dicuntur. Attamen, iuxta virtutem naturarum unitarum * adaptare convenit uni Filio ea, quae dicuntur[2].» Rursusque in reprehensione undecimi capituli, adversus sapientem Cyrillum lupum in ovina pelle absconditum redarguentem, haec quoque mendaciter dicit: Andreas: « Sed perspicuum est nihil ei sufficere ad summam unitatem, ubi naturas non confundit. Nos vero naturas exsistentes inconfusas servabimus, et unitatem summam et divinam et nobis incomprehensibilem confitemur, omnia ad glorificationem tanquam Deo et uni Filio ei offerentes, et dicentes ei vocem beati Petri: « Tu es Christus, Filius Dei[3]».

* p. 292.

Quis ex hoc quoque non videbit commentum istud, quod sancto Ambrosio adscriptum est, et ipsum Nestorii fermento depstum esse? Dicit enim: Haeretici: « Igitur postquam suscitavit templum suum Deus Verbum, et in eo resurrectionem atque renovationem naturae nostrae operatus est, eam quoque Dominus noster Christus discipulis suis ostendens dicebat: « Palpate me et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere[4].» Vere enim Verbum incarnatum, indivisibile a carne sua exsistens, suscitavit illam, quae est templum ipsius, et ideo ipsum resurrexisse dicitur et creditur, et ipsum quoque discipulis suis seipsum ostendebat, dicens: « Palpate me et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.» At, mirabilis iste confictor dicit: « Suscitavit quidem Deus Verbum templum suum, renovationem naturae nostrae operatus; eam autem Dominus noster Christus a mortuis resurgens discipulis suis ostendit.» Alius est proinde Dominus noster

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 321. — [2] *Ibid.*, 333. — [3] *Ibid.*, 372; Matth., xvi, 16. — [4] *P. Gr.*, LXXXIII, 184; Luc., xxiv, 39.

* p. 293. Christus ac Deus Verbum * qui suscitavit templum suum. Et est quidem templum quod surrexit, Christus; qui autem templum suscitavit, Verbum Dei. Et Christus quidem semetipsum ostendebat discipulis suis; loquebatur autem in persona eius Deus Verbum per ipsum tanquam per virum deiferum « Palpate me et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere », ut agnosceremus habentem et habitum, qui sunt duo christi, quemadmodum Nestorium adducit sanctus Cyrillus, in tomo secundo adversus blaphemias eius, dicentem: NESTORIUS: « Ideo etiam Christus appellatur Deus Verbum, quia habet perpetuam cum Christo coniunctionem[1].» RURSUSQUE: « Sed quia Deus est in assumpto, ex assumente is, qui assumptus est, tanquam assumenti coniunctus, simul appellatur Deus[2].» Sicut ergo hic dixit Nestorius « assumens » et « assumptus », ita etiam qui Dei amantissimo Ambrosio commentum tribuit, « habens » et « habitus » scripsit; qui cum commentum absolveret, anathematizavit eos, qui Christum dicunt simplicem hominem, ne videretur quidem Nestorii *doctrinis* assentiri, sed ut eos abriperet, qui varietatem erroris nesciunt. Nam Nestorium quoque sapiens Cyrillus in eodem tomo adduxit, dicentem: NESTORIUS: « Neque vero simplex homo Christus, o calumniator, sed homo simul et Deus[3].» Putabat enim iniquus, coniungendo Deum et hominem secundum identitatem nominis, se evasurum e suspicione asserendi simplicem hominem esse Christum. * p. 294. Quod autem ii, * qui tanta laborant impietate, inducunt Deum Verbum loquentem per hunc, quem dicunt, hominem assumptum, *id* significat etiam Theodorus, qui fuit antistes mopsuestenus; qui, in expositione epistulae ad Hebraeos scripsit sic: THEODORUS: « Nobis autem loquebatur per hominem assumptum; et operatur quidem ipse sua ut Deus, loquebatur autem nobis ille decentia[4].»

Hunc autem sanctae memoriae Ambrosium etiam Macedonius, regiae urbis antistes, calumniatus est, cum composuit librum excerptorum atque confictorum locorum, quibus ostendere voluit eximium quidem Cyrillum Ario, Eunomio, Apol-

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 88. — [2] *Ibid.*, 105. — [3] *Ibid.*, 96. — [4] SACHAU, *Theodor. Mops. fragm. syr.*, p. 60, 98 (Lipsiae, 1869).

linario, blasphemaeque eorum turmae consentire, Nestorium vero orthodoxis adhaerere, itemque impium Cyrum cilicium ex Aegis, et iniquum Eutherium tyanensem. Quem librum deprehensus est in manibus gerens Paschasius, tunc a clarissimis principibus comprehensus, quod Macedonii diaconus esset et iudaicae religionis illius cultor. Huius autem libri pars quaedam est haec: EX LIBRO QUEM COMPOSUIT MACEDONIUS CONSTANTINOPOLITANUS: Sancti Ambrosii, episcopi mediolanensis, ex capitulis de fide catholica: « Ergo, si omnium caro in Christo subiacuit iniuriis, quomodo cum divinitate unius esse hypostasis putatur?[1]» Sancti Cyri monachi: « Una enim hypostasis, quae ex duabus naturis, substantia est, quae omnibus alia *est* secundum substantiam[2].» Sancti Eutherii, episcopi tyanensis, ex * iis, quae *scripsit* adversus Cyrillum: « Aut quid dicet quis unam, quae ex duobus, hypostasim? Verbum solum? Sed reluctatur natura carnis[3]. Et si dixeris Christum[4], dispensationis dedisti nomen, non substantiae[2].» His adiunxit etiam aliquem Nestorii locum, quem inscripsit « Patris »; saepissime etiam placuit ei inscribere verba immundorum locorum illius « Patris calumnia impetiti », perinde ac si per calumniam facta esset depositio illius. Nunc vero locus in proposito capitulo *descriptus* sic se habet: « Patris: Et ut breviter dicam mysterium doctrinae: Deus Verbum erat in templo, quod a Spiritu sancto plasmatum erat. Aliud autem est templum praeter Deum inhabitantem. Templi est dissolvi morte; inhabitantis autem templum *est* suscitare templum. Non meus est sermo; vocem dominicam lego « Solvite templum hoc, et in tribus diebus suscitabo illud ». Coniunctionis igitur confiteamur unam dignitatem, naturarum autem hypostases duplices. Alioquin etiam Spiritus invenietur Verbum *esse* creatura. At non creavit neque genuit Deum Verbum Spiritus sanctus[5].» * p. 295.

Ecce ope commentorum et calumniarum affinium Ambrosius quoque visus est confiteri Christum non quidem unam hypostasim ex duobus, sed contra in duabus naturis et hypostasibus

[1] *P. Gr.*, LXXXIII, 184. — [2] Locum non repperi. — [3] Notat cod. A: In duobus codicibus graecis habetur « reluctatur natura Verbi », pro « carnis ». — [4] esse unam hypostasim ex duobus. — [5] Cfr LOOFS, p. 340.

et, ut verum dicamus iuxta vocem increpatoriam sapientis Cyrilli, in dualitate christorum et filiorum. De istis vero impiis et audacibus commentis, quae mendaciter evulgabantur adversus doctores orthodoxiae, sanctus Cyrillus, ad Iohannem, tunc temporis episcopum antiochenum, et ad synodum eius * in concilio [1] scribens, unaque sententia eiusmodi tomos prohibens, in epistula cuius initium est « Non conquievit draco ille apostata vere pessimus et mala Deo infensa bestia [2]», scripsit sic: CYRILLUS: « Proinde necessarium fuit praeclarum nos his de causis festum agere, eiecta scilicet cum perversis opinionibus Nestorii omni a quocunque emissa voce, quae cum illius mendaciis conveniret [3].» ET POST PAUCA: « Infames autem opiniones, Diodori, inquam, ac Theodori, vel aliorum quorumdam quos non laudare satius erat, ne quid gravius dicam, propterea quod plenis quodammodo velis adversus Christi gloriam ferantur, nemo, oramus, sanctis et orthodoxis Patribus nostris tribuat, Athanasio dicimus et Basilio, tribusque Gregorii *discipulis*, Theophilo quoque et ceteris, ne quo pacto res quibusdam scandali occasio fiat, putantibus revera ita sensisse ac docuisse viros totius orthodoxiae custodes, qui libros reliquerunt impugnantes perversas opiniones non solum Nestorii, sed etiam aliorum, qui Nestorii *sententias* ante ipsum mente tenuerunt et scriptis mandarunt [4].»

Talis autem sollicitudo mendacia verba confingendi veraque corrumpendi erat caetui ducum agminis Nestorianorum post sanctam synodum ephesinam. Cum sanctae memoriae Caelestinus praesens saeculum mutavisset et ad Deum ivisset, et sanctus * Xystus accepisset thronum ecclesiae romanae, epistulam finxerunt, velut a presbytero Philippo lingua Italorum conscriptam et in Graecorum sermonem translatam, quam in manibus habemus, Nestorii nequitiae plenam et commenti artificium proclamantem. Ille autem Philippus clero romano adnumeratus fuerat et sancti Caelestini locum in praeclara synodo ephesina tenuerat. Porro huius fictae epistulae mentionem fecit etiam sapiens Cyrillus ad Acacium melitinensem episcopum scribens sic: CYRILLUS: « Quod si quidam afferant epistulam tanquam

[1] συνοδικῶς. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 332. — [3] *Ibid.*, 333. — [4] *Ibid.*, 336.

a casto Philippo, romanae ecclesiae presbytero scriptam, perinde *sonantem* ac si sanctissimus episcopus Xystus depositionem Nestorii moleste acceperit, eique iratus fuerit, ne Sanctitas tua *hoc* credat. Consona enim sanctae synodo scripsit, omniaque illius gesta confirmavit, ac nobiscum sentit. Si qua vero epistula a quibusdam tanquam a nobis scripta exhibeatur, quasi dolente me de iis, quae Ephesi fecimus, id etiam risu excipiatur. Etenim, per gratiam Salvatoris, sanae mentis sumus et a recto sensu non excidimus [1].» Similem autem falsationem et audaciam illos machinatos esse in epistulam sancti Athanasii ad Epictetum, scribendo ad Succensum dixit sic: CYRILLUS: « Victi confutationibus exinde *prolatis*, machinati sunt horrendum quid atque impietate * haeretica dignum. Cum enim adulterassent epistulam et quaedam quidem abstulissent, quaedam autem addidissent, *eam* ediderunt, ita ut videretur vir ille perpetua memoria dignus consona Nestorio et sectatoribus eius sentire [2].» Nec impudenti turmae eorum unum satis fuit! Nam commenti sunt tunc etiam oratiunculam quamdam Nestorii immunditie foetentem, quam ceterum non ausi sunt proferre in pugna adversus sanctum Cyrillum, — secus enim, adulterationis fuissent convicti; — illam autem inseruerunt inter orationes magni Athanasii, commentum illi impie attribuentes, ita ut in vetustis iam libris, quasi iam effluxo multorum annorum spatio, inveniatur. Sic autem se habet: EX ORATIONE QUAM FALSO TRIBUERUNT HAERETICI ATHANASIO: « Omnibus enim quibus imperat et dominatur Pater, imperat et dominatur etiam Filius, totus quoad totum Patri similis, ut ipse ait Dominus « Qui vidit me, vidit Patrem [3]». Genitus est modo inexplicabili et qui comprehendi nequit, nam « generationem eius quis enarrabit? [4]», *quod ponitur* pro « nemo ». Qui cum in fine saeculorum descendisset e sinu Patris sui, ex inviolata Virgine Maria assumpsit hominem nostrum, Christum Iesum, cuius propriae voluntati reliquit ut pro nobis pateretur, quemadmodum dicit Dominus: « Nemo tollit animam meam a me; a meipso pono eam; potestatem habeo ponendi eam et potestatem habeo *iterum* sumendi

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 201. — [2] *Ibid.*, 237. — [3] IOH., XIV, 9. — [4] ISAI., LIII, 8.

eam[1]». In quo homine crucifixus et mortuus est pro nobis et surrexit a mortuis et elevatus est in caelum[2].»

Si ergo iuxta inanes istas fabulas, Verbum Dei hominem Christum Iesum ex Maria assumpsit, ipsum non est Christus vel, si est * etiam Verbum Dei Christus, assumpsit autem Christum, qui ex Maria, duo ergo sunt Christi. Si autem homo Iesus, qui ex Maria, solus est Christus, Verbum autem Dei minime, ne duo inveniantur Christi: mentibus est *ergo* David qui psallendo et Deum *illum* vocat et aeternum thronum regni *eius*, non autem recens acquisitum, *nempe* eum, qui pro nobis immutabiliter incarnatus est et pro nobis secundum dispensationem unctus est oleo laetitiae, quod est participatio Spiritus sancti, cum non sit unus ex illis, qui accipiunt, — quamvis illis adnumeratus sit propter mensuram voluntariae exinanitionis, — sed largitor participationis iis, qui indigent sanctificatione, ipse quidem plenitudinem substantialiter obtinens per omnia, tanquam Unigenitus a Patre plenus gratiae et veritatis[3], mittens autem gratiam ad nos, quorum factus est primitiae. Dicit enim *David*: « Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi; virga rectitudinis virga regni tui. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae participibus tuis[4].»

At omnibus istis immundis vox apostolici doctoris Athanasii adversatur et opponitur. Equidem hominem dominicum[5] nominavit Verbum incarnatum in suis scriptis, ac si quis nominet inhumanatum Dominum et Deum. Dividere autem in duo hunc unum et dicere a Deo Verbo Christum, qui ex Maria et homo dominicus *est*, assumptum esse, alienum quidem est ab Athanasio, pertinet autem ad eos, qui duos Christos et Filios cogitant, quemadmodum etiam * Nestorius scripsit: « Ideo etiam Christus appellatur Deus Verbum, quia perpetuam habet coniunctionem cum Christo[6].» Quomodo autem scripsisset Athanasius a Verbo Dei ex intemerata virgine Maria hominem nostrum Christum Iesum assumptum esse, quem pro nobis tradidit ut pateretur, cum ipse ad Epictetum *verba* e regione oppo-

[1] Ioh., x, 18. — [2] *P. Gr.*, XXV, 201. — [3] Cfr Ioh., I, 14. — [4] *Psalm.* XLIV, 7-8. — [5] ὁ κυριακὸς ἄνθρωπος. — [6] *P. Gr.*, LXXVI, 88.

sita scripserit, ipsis verbis et sententiis radicitus evellens oppositam impietatem? Quae *verba* sunt haec: Athanasius: « Quomodo autem ii, qui christiani dicuntur, ambigere ausi sunt, sitne Dominus, qui ex Maria natus est, natura quidem et substantia Filius Dei, secundum corpus vero ex semine David et ex carne sanctae Mariae? Quinam autem adeo impudentes facti sunt ut Christum, qui carne passus et crucifixus est, negent esse Dominum et Salvatorem et Deum et Filium Patris? Aut quomodo christiani censeri volunt qui dicunt in hominem sanctum, perinde atque in unum ex prophetis, venisse Verbum, non autem ipsum factum esse hominem, ex Maria corpus assumendo, sed alterum esse Christum et alterum Dei Verbum, quod ante saecula et ante Mariam erat Filius Patris? Aut quomodo christiani esse possunt, dicentes alium esse Filium et alium Dei Verbum?[1] »

Et longius esset atque praeter iustam mensuram omnia apostolica verba eius, quae hoc spectant, afferre. Falsatores autem illum producunt scribentem ea, quae dixit non esse *verba* christianorum. Nam quomodo christianorum esset dicere: « Verbum * Dei ex intemerata virgine Maria hominem nostrum Christum Iesum assumpsit, quem pro nobis tradidit »? Ex his similibusque commentis rati sunt Grammaticus et Scythopolitanus se opinionem suam confirmaturos esse, et merito quidem; nam nituntur commentis eorum, quorum impietati patrocinantur. Nos autem sanctae memoriae Ambrosium, ex locis eius a sancta et universali synodo ephesina probatis, a commenti calumnia vindicavimus et stabilivimus quomodo unum Filium noverit eum, qui aeternam generationem habet a Patre et factus est ex muliere cum venit plenitudo temporis, et factus est sub lege[2], ut eiusdem esset et ab aeterno esse secundum divinitatem et hominem in fine secundum oeconomiam absque ulla mutatione fieri, ne Ariani illud « fieri » auferentes a carne, ad incorporalem et intemporalem generationem eius *illud* referrent.

Ideo etiam eundem dicit utroque modo, divino et humano, locutum esse, quia in illo utraque natura videtur et est, propterea quod per separationem secundum cogitationem manifes-

[1] *P. Gr.*, XXVI, 1053. — [2] Cfr *Galat.*, IV, 4.

tatur et innotescit differentia secundum substantiam eorum ex quibus unus *est* Christus; neque absolutam recipit sectionem, ut sanctus quoque Iulius dixit: IULIUS: « Proclamatur autem in eo hoc quidem esse creatum in unione increati, illud autem increatum in coniunctione creati, una natura ex utraque parte subsistente, Verboque partialem operationem adimplente in totum cum divina perfectione. Quod in communi homine fit, ex * duabus partibus imperfectis unam naturam absolventibus unoque nomine designatis[1].»

* p. 302.

Haec etiam secutus sanctus Cyrillus, sensumque dictorum doctorum praecedentium libere atque diligenter praedicans, dixit: CYRILLUS: « Sit autem nobis rursus in exemplum homo nostri similis. Duas namque naturas etiam de ipso intelligimus, animae unam, corporis autem alteram. Sed meris cogitationibus separantes et subtilibus quodam modo contemplationibus seu phantasiis intellectus differentiam apprehendentes, non divise ponimus naturas, neque perfecte virtutem sectionis in illas permittimus, sed unum illas esse intelligimus, ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur[2].»

CAPUT DUODEVICESIMUM

Quod ii qui post unionem duas naturas, ut aiunt, individuas et unitas confitentur, permanentes in separatione secundum contemplationem absolute, nolentesque, iuxta sapientis Cyrilli doctrinam, post cogitationem unionis illum unum, qui ex duobus absolutus est, dualitate iam non solvere, convincuntur mutilare atque mutare verba doctorum. Et *quod* « in duabus » non de una hypostasi composita convenit dicere, sed de duabus separatim subsistentibus.

At ii, qui duas naturas individuas post unionem confitentur, vim afferunt separationi secundum cogitationem et contemplationem, quae indicat differentiam * tantum secundum substantiam, ut illam trahant ad sectionem absolutam, quia eum, qui ex unione absolutus est, unum ex duobus *esse* non recipiunt, neque unum manere sinunt, sed in ea, ex quibus subsistit, impie

* p. 303.

[1] LIETZMANN, p. 187. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 245.

resolvunt, *nempe* in dualitatem naturarum post unionem. Itaque sapientissimus Cyrillus eadem ratione eademque contemplatione et distinguit differentiam naturarum ex quibus *est* Emmanuel, et compingit eum, qui ex unione absolutus est, in unitatem indivisibilem. In oratione prosphonetica ad religiosissimum imperatorem Theodosium, scripsit sic: CYRILLUS: « Estque sicut in divinitate perfectus, ita et in humanitate perfectus. Non ex sola divinitate et carne in unum Christum et Dominum et Filium concrevit, sed ex duobus perfectis, ex humanitate inquam et divinitate, in unum eundemque mirabiliter colligatus est[1].»

At ii, qui in duabus naturis individuis dicunt subsistere Christum post unionem, excerpentes divisionem, quae secundum solam contemplationis separationem nobis praebet indicium differentiae secundum substantiam, atque in ea permanentes, illam causam efficiunt absolutae sectionis, et dicunt: HAERETICI: « Si in divinitate *est* perfectus et in humanitate perfectus, in duabus naturis recte dicimus subsistere et agnosci Christum[2].» Audient autem a nobis: Cur perfectionem unionis dissecatis, et non confitemini Christum, ut dixit magister, « ex duobus perfectis, ex humanitate inquam et divinitate, in unum eundemque mirabiliter * colligatum »? Etenim, nobis quidem licet utrumque separare et singillatim considerare perfectionem divinitatis atque perfectionem humanitatis non imminutam neque confusam, usque ad contemplationem in cogitationibus et subtilibus phantasiis intellectus, idque, quod ex unione mirabiliter absolutum est unum ex duobus perfectis, non imminutis, neque confusis, ex divinitate et humanitate, confiteri unum Christum; non autem illum, secundum hypostasim ex duobus unum, duo dicere post unionem, neque differentiam secundum substantiam eorum, quae in unum concurrerunt, causam efficere ea a se mutuo in absolutam quoque et singularem diversitatem removendi.

* p. 304.

Quod autem haec ita se habent, quodque contemplationis quidem circa differentiam velut in meris cogitationibus est duo videre, eius vero qui mirabiliter ex unione absolutus est,

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 1168. — [2] Locum non repperi.

unus ex duobus proclamari Christus unaque natura Verbi incarnata, tanquam sublata iam in duas sectione, id asserit rursus effatum sancti Cyrilli, quod saepe attulimus, ex epistula ad Acacium, episcopum melitinensem: CYRILLUS: « Quapropter ea, ex quibus est unus et solus Filius et Dominus Iesus Christus velut in cogitationibus apprehendentes, duas quidem naturas unitas esse dicimus; verum, post unionem, tanquam sublata iam in duas sectione, unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati [1].» ET POST PAUCA: « Quo autem modo incarnata sit et inhumanata si quis curiosius inquirat, videbit Deum Verbum, qui ex Deo est, formam servi assumpsisse et in similitudine hominum factum esse, ut scriptum est [2]. Atque secundum hoc ipsum * et solum intelligetur differentia naturarum seu hypostasium; non enim idem sunt secundum qualitatem naturalem divinitas et humanitas; secus, quomodo Verbum exinanitum est, cum Deus esset, et seipsum ad inferiora, id est ad nostra, demisit? Cum itaque incarnationis modus studiose inquiritur, duo inter se ineffabiliter et inconfuse secundum unionem coniuncta videt prorsus intellectus humanus; attamen, ubi unita sunt, nullo modo ea disiungit, sed unum, qui ex duobus, et Deum et Filium et Christum et Dominum esse credit et inconcusse admittit [3]. »

Ecce, duo quidem videre solummodo in contemplatione intellectus licet, discernendo differentiam quasi in qualitate naturali; illud autem, quod post unionem, id est post cogitationem unionis, absolutum est minimeque separatur divisione dualitatis, unum ex duobus et Deum et Filium et Christum et Dominum esse, credere *oportet* et inconcusse admittere. At ii, qui in Chalcedone congregati sunt, et dixerunt eundem perfectum in divinitate et eundem perfectum in humanitate, noluerunt addere, sicut sapiens Cyrillus, id quod cohibet separationem dualitatis post unionem, id est « ex duobus, humanitate et divinitate, in unum eundemque mirabiliter *Christus* colligatus est ». Ostendimus autem in iam consideratis, quomodo hanc sententiam isti anthropolatrae adulterare [4] ausi sint, et ordini expressionis atque harmoniae structurae sermonis vim

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 192. — [2] *Philipp.* II, 7. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 193. — [4] φαλσεύειν.

intulerint, et *formulam* « ex duobus perfectis » mutaverint induxerintque *formulam* « in duobus perfectis », ut compositum illum, unumque ex duobus secundum subsistentiam atque secundum contemplationem * tantum separatum, ostenderent divisum secundum hypostases. Etenim *formulas* « in duobus » vel « in utroque » de duabus hypostasibus apponi iterum docet erudiens et accurata vox sapientissimi Cyrilli. Nam in epistula ad Acacium, episcopum scythopolitanum, qui de capro emissario quaesiverat, textum legalem elucidando haec dixit: CYRILLUS: « Duo hirci assumebantur et sortes cadebant in illos; et is, in quem cadebat sors Domini, immolabatur; ille autem, in quem cadebat sors emissionis, in desertum non immolatus mittebatur: qui ex ipsa re nomen obtinebat et emissarius vocabatur; mittebatur enim in emissionem, ut ait sacra Scriptura [1]. Isti autem duo praefigurabant Christum, qui in immolato quidem hirco carne passurus praemonstrabatur et semetipsum in odorem suavitatis oblaturus Deo et Patri; in altero autem hirco non immolato sed in desertum impervium emisso, idem intelligebatur, qui extra passionem mansit. Erat enim naturaliter Deus impassibilis idem qui secundum oeconomiam factus est immutabiliter homo propter nos. A mortuis quoque suscitatus, in locum inaccessum ivit, ad thronum caelis sublimiorem ascendens, omni creaturae impervium, ipsi autem soli pervium sicut et Patri et Spiritui, nobisque sic initiavit viam novam, ut scriptum est [2], ad supernas mansiones [3]. »

* Ne quis autem, ait magister, propter typum duorum hircorum in duos filios dividat unum Christum; non enim possibile fuisset, uno *tantum* hirco assumpto, praefigurare per id, quod immolaretur et maneret non immolatus, unum eundemque Christum et morientem pro nobis carne, et extra mortem apparentem divinitus. Quia vero typus infirmus erat, unoque hirco omnia exhibere non valebat, — quod veritatis virtus requirebat, — duo hirci necessario assumpti sunt, ut unusquisque ex parte vixque exprimeret id, quod praefigurabatur, non autem ut in hominem et Deum singillatim et divise *separatus* agnosceretur Christus. Sic ait duos hircos nulla re differre secundum id

[1] *Levit.*, XVI, 10. — [2] *Hebr.*, X, 20. — [3] Locus non ad verbum, sed ad sensum tantum exscriptus; cfr *P. Gr.*, LXXVII, 201.

quod sunt, sed omnimodo speciei identitate gaudere; non tamen ideo nos, typorum infirmitati adhaerentes, dicturos esse nulla re inter se differre divinitatem et humanitatem, ex quibus *est* Emmanuel. Quemadmodum igitur identitas speciei[1] hircorum minime laedit veritatem, — nam evadimus ex infirmitate typorum multam immensamque differentiam agnoscendo divinitatis et humanitatis, ex quibus unus Christus *esse* intelligitur, — ita neque dualitas hircorum ullum affert detrimentum veritati, quia procul rursus evadimus ex infirmitate typi, neque ideo duos filios intelligimus *esse* unum Christum. Ita enim duo quoque passeres assumebantur, cum pro leprosi mundatione sacrificium offerebatur; et unus quidem immolabatur, alter vero sanguine immolati aspergebatur, ipseque non immolatus * (p. 308) dimittebatur; neque dualitas passerum, neque identitas speciei utriusque decorem veritatis laedit, quia figura typi impar est ad plenitudinem attingendam et accurationem significandam.

Cum omnia clarissime sic indicavisset, addidit haec: Cyrillus: « Itaque imago erat lex et typus rerum veritatem utero gestantium. Etsi ergo duos hircos inducebat necessitas ad ostensionem mysterii de Christo, itemque dualitas passerum aderat, unus tamen erat in ambobus, et in passione et extra passionem, et in morte et supra mortem[2]. » Vides quomodo de duobus hircis et de duobus passeribus divisis in hypostatibus formula « ἐν ἀμφοῖν » usus sit magister; attamen non simul cum typis hircorum et passerum dividitur Christus, qui in illis velut in umbra praefigurabatur. Nam in Scholiis sic ait: Cyrillus: « Duobus passeribus comparat Christum, non quod duo potius sint filii, sed unus ex duobus, ex divinitate et humanitate in unitatem congregatis[3]. »

Cum autem typus, per dualitatem hircorum et passerum divisionem ostendat, et per identitatem speciei utriusque confusionem suggerat et destructionem differentiae divinitais et humanitatis, ex quibus *est* unus et solus Christus, evadere nos iubet magister e typis, qui nequeunt, ut diximus, per omnia attingere accurationem veritatis, sed habent aliquid, quod a subiectis rebus prorsus distat. Quapropter in contemplatione

[1] τὸ ὁμοειδές. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 220. — [3] *P. Gr.*, LXXV, 1406 (latine tantum).

de emissario dicit haec: Cyrillus: « Sinamus autem * (p. 309) typos ea ratione, quae ipsis conveniat, intelligi; multum enim a veris rebus deficiunt et ex parte tantum quandoque rerum significatarum demonstrationem efficiunt. Dicimus autem umbram et typum fuisse legem[1]. » Et in explanatione evangelii Matthaei, in libro undecimo, *formulam* « in duobus » vel « in ambobus » de duabus hypostasibus adhibuit, narrando de duobus domesticis, qui partem talentorum acceperunt, alter quinque et alter duo, et quorum uterque id, quod datum fuerat, duplicavit sed aequali mercede dignatus est, sic: Cyrillus: « Aequalis igitur in ambobus animi promptitudo atque diligentia ad labores; nam pervenerunt ad culmen sibi insitae virtutis[2]. » Similiter et in libro octavo explanationis Iohannis: « Typus ergo translationis[3] est fides, quae iustificat; quam, cum ad seipsum accipit Filius, admovet revera etiam ad Patrem; una enim divinitas in ambobus *est* et inseparabilis dignitas substantiae[4]. »

Ecce undique ostenditur tanquam de duabus hypostasibus in propria existentia subsistentibus convenire dicere « in duobus » et « in ambobus ». At, quoad divinam inhumanationem, unam esse hypostasim et naturam Verbi incarnatam dicimus, minime vero « in duobus » vel « in ambobus », ne dissecemus in duas naturas vel hypostases unam illam hypostasim, quae in contemplatione tantum separatur, ad agnoscendum rursus neque connaturales, neque consubstantiales[5] *esse* divinitatem et humanitatem, ex quibus *est* Emmanuel. * (p. 310) Quapropter de illo etiam dicantur *formulae* « ex duobus » et « ex ambobus », quae prohibent et impediunt dualitatem naturarum post unionem. Scripsit enim magister in eodem libro octavo explanationis, multo ante sententias iam allatas, sic: Cyrillus: « Se clarificatum esse, non nudum Verbum, quod ex Deo et Patre *est*, nobis dixit, sed unum ostendens Filium, qui ex humanitate et divinitate ineffabiliter agnoscitur, dicit « Filium hominis ». Unus enim Filius et Christus, in quo post inhumanationem sectio non datur, nisi quatenus dicimus ad significandum tantum naturam Verbi et *naturam* carnis, et eamdem non esse secundum cognitionem: altera enim est ex substantia Dei et

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 217. — [2] Locum non repperi. — [3] ? μετάστασις. — [4] Locum non repperi. — [5] τὸ μὴ ὁμοφυὲς καὶ τὸ μὴ ὁμοούσιον.

Patris, altera autem principium habet super terram sanctam Virginem; unus tamen *est* Christus, in dualitatem filiorum non divisus post concursum eorum, quae dicta sunt, sed in dignitate divinitatis etiam cum carne existens et agnitus [1].»

Igitur Chalcedonenses, qui «ex duabus naturis» in definitione non scripserunt, sed elegerunt et definierunt «in duabus naturis», ad dualitatem filiorum delapsi sunt. Hoc enim, quod «ex duabus naturis» confitetur quis unum Christum, destructivum est huius *dualitatis*; quod autem «in duabus naturis» dicit, divisas secundum hypostases exhibet illas *naturas*, sicut ipsa oratio ostendit. Et ceterum, *appellatio* «una persona», secundum identitatem nominis filiationis [2] congruit ambobus, eodemque modo nomen unius hypostasis. «Personam enim, ait, mos est vocare et hypostasim [3]»: quam expositionem protulimus Theodoretum facientem, ope testimoniorum Nestorii, ad Iohannem cilicium, in iis quae fuse antea * considerata sunt a nobis. Sapiens autem Cyrillus, cum Orientales dixissent «Duarum enim naturarum facta est unio [4]», et medici more ad eos rescriberet, ut supra dictum est, *formulam* «ex duobus» iniecit tanquam radicem in quoddam poculum morbum expellens, et tanquam significativam unionis hypostaticae, ex qua efficitur ut proclametur una natura Dei Verbi incarnata, quae in subtili contemplatione tantum et velut in subtilibus cogitationibus separatur ad significationem differentiae secundum substantiam eorum quae in unum concurrerunt per coniunctionem naturalem, quae impedit et cohibet sectionem absolutam, ita ut ea, quae videntur duo in contemplatione propter diversitatem speciei et diversitatem substantiae ad invicem, non iam duo sint, sed ex ambobus unum absolvatur; una enim *est* hypostasis ex duobus. Quamvis dixerit, in secunda epistula ad Succensum, «ignoravisse» eos, qui propositionem in ipsum converterant, dicentes: HAERETICI: «Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem? [5]», attamen dixit etiam illos adversari iis, qui dicunt unam esse naturam Filii incarnatam [6].

* p. 311.

[1] Locum non repperi. — [2] τῇ τῆς υἱότητος ὁμωνυμίᾳ. — [3] Haec verba videntur esse Theodoreti. — [4] *P. Gr.*, LXXVII, 172. — [5] *Ibid.*, 244. — [6] *Ibid.*, 245.

CAPUT UNDEVICESIMUM

Quod cum dicentes duas naturas inseparabiliter subsistere post unionem condemnet sanctus Cyrillus, quod adversentur asserentibus unam naturam Filii incarnatam atque vim inferant separato in contemplatione ut in hypostasi quoque separent, et fraudulenter prorsusque supervacaneo dicant Christum «natura humanitatis» passum, dum «carne» dicendum foret * iuxta Scripturas, Chalcedonenses aperte repugnantes, etiam «in duabus naturis individuis» eum definierunt et per Tomum Leonis quaerunt quaenam natura crucifixa sit. Quod ridiculus Grammaticus, cum inter condemnatos sit, tanquam de non evidentibus, ut ita dicam, etiam iurare conatur, dicens: Vesanus haereticus non sum.

* p. 312.

Cum autem etiam putent isti se pravam suam sententiam requisituros ex hoc, quod a nobis dicitur, *scilicet quod* natura humanitatis passus est Emmanuel, qui ex duabus naturis, ex divinitate et humanitate, est unus, et propositionem *suam* contexant sic: HAERETICI: «Nihil prohibet quominus dicatur cum natura humanitatis passum esse. Quod si verum est, quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise? [1]», dicit magister ad illos: Hoc vos non iuvat in asserendis duabus naturis post unionem; etenim, nominare naturam humanam et naturam divinam, ex quibus *est* Emmanuel, non est separare unum in duo, nam humanitas facta est propria Verbi, unusque Filius cum illa intelligitur. Iuvat autem ipsam sacram illius vocem hac de re audire; adiungitur sententiis antea adductis, quae in exemplum divinae unionis afferunt typum hominis nostri similis. Dicit ergo sic: CYRILLUS: «Non seorsum ponimus naturas, neque rursus perfecte virtutem sectionis in illas permittimus, sed unum illas esse intelligimus, ita ut illae duae *naturae* non iam sint duo, sed utraque unum animal absolvatur [2].»

* Itaque, etsi dicunt humanam divinamque naturam de Emmanuele, attamen humanitas facta est propria Verbi et unus Filius cum illa intelligitur. Illum igitur, qui sic se habet, estque

* p. 313.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [2] *Ibid.*, 245.

unus ex duobus, et in una persona atque in hypostasi et natura una, scilicet Verbi incarnata, conspicitur, etiam si quis carne passum dicat, bene dicit; et etiam si confiteatur illum natura humanitatis passum, non mala mente dicit, quia simul confessus est unam esse naturam et hypostasim Verbi incarnatam, non autem duas naturas, post unionem. Qui enim hoc animo est, non separat, sed ostendit se confiteri *Verbum* incarnatum passum esse quantum passionis capax est, cum omni passioni sit inaccessibile prout intelligitur et erat et est Deus. Sic enim etiam Succensum, ad quem scribebat, cum laude excepit, dicens: CYRILLUS: « Rectissime autem ac sapientissime Perfectio tua de salutifera passione verbum faciens, Unigenitum Dei Filium non prout concipitur et est Deus in propria sua natura dicit passum esse ea, quae corporis sunt, passum vero potius terrestri natura. Servandum est enim necessario utrumque uni et secundum veritatem Filio, tum id quod divinitus non patiatur, tum id quod humanitus passus dicatur; ipsius enim caro passa est[1]. » Quod etiam in tomo quinto adversus blasphemias Nestorii pronuntiavit sic: « Sicut enim qui hominem dixit, significavit simul cum corpore animam, quamvis secundum naturam haec sit diversae naturae[2] ab eo, et si etiam dicatur fortasse corpus alicuius mortuum esse, totus homo id passus non absurde intelligitur, quamvis *animam haud morti obnoxiam habeat: ita etiam *res se habet* circa salvatorem omnium nostrum Christum. Nam quia illud ex Deo Patre Verbum, ut saepissime diximus, communicavit sanguini et carni sicut nos, et proprium sibi fecit corpus illud ex sancta Virgine, et ita appellatum est etiam filius hominis: hac de causa, mortua eius carne, ipsi passionem tribuit vera unionis ratio, sed Illud extra passionem mansisse novit, quia Deus est secundum naturam et vita[3].»

* p. 314.

Eos vero, qui instabant, dicentes: HAERETICI: « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise?[4]», manifesto detexit, et dixit illos supervacaneo prorsus dicere « in natura humanitatis » passum esse *Christum*, ita ut duos iam filios separare videantur, quorum alter quidem passus

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [2] ἑτεροφυής — [3] *P. Gr.*, LXXVI, 244. — [4] *P. Gr.*, LXXVII, 244.

sit, alter autem non passus, non autem sit unus incarnatus, qui passus quidem humanitus carne, extra passionem vero divinitus appareat. Posito enim prius in hac instantia: « Nihil prohibet quominus dicatur eum natura humanitatis passum esse », sic addiderunt: « Quod si verum est, quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise?[1] ». Dicit ergo magister praestare dicere eum passum esse « carne », iuxta Scripturas, non « natura humanitatis », etsi idem *utrumque* est apud orthodoxos et absque pravo sensu tum hoc, tum illud dicunt. Itaque, supervacaneo prorsus dicebant eum natura humanitatis passum esse ii, qui propositionem urgebant, dicentes: « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise? » Nam contra illos totam orationem manifesto protrahens, condemnavit *eos tanquam adversantes iis, qui unam dicunt esse naturam Filii incarnatam et audacter conantes duas naturas subsistentes ostendere et ei; qui in contemplatione tantum atque in meris cogitationibus separatur ut appareat differentia secundum substantiam eorum, quae concurrerunt in unum, vim inferentes ad illum efficiendum etiam secundum hypostasim separatum, ita ut *illum* etiam in diversitatem singularem et absolutam separent et dividant. Illos dicit pravo sensu et supervacaneo prorsus asserere Christum natura humanitatis passum. Illorum etiam contentionem damnavit et concertationem cum iis, qui confitentur unam naturam Filii incarnatam et inhumanatam. Addit autem iis, quae antea iam allata sunt, sequentia sic: CYRILLUS: « Cum ergo Scriptura inspirata dicat ipsum carne passum esse, satius est nos quoque sic dicere quam natura humanitatis, quamvis et hoc utique, nisi malitiose a quibusdam dicatur, nihil violet mysterium. Quid enim est natura humanitatis, nisi caro per animam intelligentem animata? Et carne passum esse Dominum dicimus. Igitur, prorsus supervacaneo dicunt eum « natura humanitatis » passum esse, quasi illam a Verbo removeant et proprie seponant, ut duo intelligantur, et non iam unum incarnatum et inhumanatum ex Deo Patre Verbum[2]. » Cum autem sic magister eos, qui manifesto asserunt Christum in duabus naturis individuis sub-

* p. 315.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [2] *Ibid.*, 245.

sistere, clare condemnet, quod adversentur iis, qui dicunt unam esse naturam Filii incarnatam et supervacaneo prorsus atque malitiose dicant cum natura humanitatis passum, ita * ut duo agnoscantur, non autem iam unus incarnatus, ridiculus Grammaticus, duas naturas confitens esse unum illum Christum, sicque damnationi obnoxius factus, scribit de nobis: GRAMMATICUS: « At dicent « Vos malitiose utimini hac voce! » Papae, audaciam adversariorum! Si enim duas naturas solummodo diceremus, minimeque proclamaremus iterum alteram confessionem, *nempe* unam esse naturam Verbi incarnatam, causam haberet inculpatio eorum. Nunc vero, quaenam iusta criminatio superest ipsis adversus nos? Quis autem eos, qui anathematizant eos, qui dicunt duas naturas hypostatice unitas, non merito reprehendet?[1] » At pronum est dicere ad eum, qui tam amens est: Non diximus vos malitiose hac voce uti! Cur canum instar, neglecto iaculatore, lapides mordere non desinis, et allidis dentes tuos incassum atque tuum impudens os cruentas, inutiliter latrando adversus veritatem? Te enim cum iis stantem, qui propositionem urgent, dicentemque: HAERETICI: « Nihil prohibet quominus dicatur eum natura humanitatis passum esse. Quod si verum est, quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise?[2] », sapiens Cyrillus lapidibus spiritualibus obruit, clamando: CYRILLUS: « Igitur, prorsus supervacaneo dicunt eum « natura humanitatis » passum esse, quasi illam a Verbo removeant et proprie illam seponant, ut duo intelligantur et non iam unum incarnatum et inhumanatum ex Deo Patre Verbum[3]. »

* p. 316.

Sed magis ridiculum hoc dicis, quod duas * confiteris voces, quas etiam confessiones vocas, tum nempe confitendum esse in duabus naturis individuis subsistere Christum post unionem, tum dicendum unam esse naturam Dei Verbi incarnatam. At rursus obrueris a magistro iactu lapidum spiritualium. Cum enim ii, qui propositionem paraverunt, dixissent: « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise?[2] », lapidavit illos, valide illos prosternens, dicendo: « Adversatur iterum nihilo minus propositio iis, qui unam esse dicunt naturam Filii incarnatam, idque ineptum volentes ostendere, ubique conantur duas naturas subsistentes ostendere[1]. » Confessiones igitur sibi mutuo adversantes in unum *coniunctas* affers nobis, et duas illas inter se oppositas et pugnantes te confiteri asseris! Gratias tibi maximas *ago* propter ingenuitatem, quacum propositionem abscidisti, eamque in sacrilego et inerudito libello non attulisti, in qua haec habentur: HAERETICI: « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise?[2] », ita ut posses miscere ea, quae misceri non patiuntur, et videreris infidus et absurdus reconciliator vocum inter se oppositarum, quas eximius Cyrillus dixit sibi mutuo adversari.

* p. 317.

[1] Locum non repperi. — [2] P. Gr., LXXVII, 244. — [3] Ibid., 245.

Haec sententiam dicunt etiam in ridiculam et impiam tuam amentiam, qua putas nos quasi de rebus, quae non patent sed carent argumentis, ut ita dicam, et iuramentis, tecum disceptare utrum non malitiose neque prorsus supervacaneo dicas * in natura humanitatis Christum passum esse. Et ignoras te, dum duas naturas individuas dicis subsistere post unionem, in facie gerere, istorum hominum contemptibilium instar, stigma ignominiae quod divus Cyrillus imposuit dicentibus « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise?[2] », estque hoc: CYRILLUS: « Supervacaneo igitur dicunt *Christum* natura humanitatis passum esse, quasi illam a Verbo removeant et proprie seponant, ut duo intelligantur et non iam unum incarnatum[3]. » Quomodo ergo, cum magister omnem aditum perversae machinationis praecluserit, dixeritque non esse dicendum *Christum* « natura humanis » passum esse, quamvis hoc ab orthodoxis non malitiose diceretur, ut ipse Succenso ita scribenti testatus est, induxeritque pro hac *formula* prudentem formulam, scribendo: « Cum ergo Scriptura inspirata dicat ipsum « carne » passum esse, satius est nos quoque sic dicere quam « natura humanitatis »[4], —*quomodo, inquam,* ii, qui in Chalcedone congregati sunt, contentiose et, ut dicitur, aperto capite[5] in oppositum abierunt atque in duabus naturis indivise Christum intelligi definierunt, et per Tomum Leonis quaerunt

* p. 318.

[1] P. Gr., LXXVII, 245. — [2] Ibid., 244. — [3] Ibid., 245. — [4] Ibid. — [5] Cfr I Cor., XI, 5.

quaenam natura transfixa clavis fuerit, dum in crucis ligno penderet[1].

CAPUT VICESIMUM

Quod sapiens in Domino Cyrillus asserentibus in duabus naturis subsistere Christum post unionem praecepit, tanquam * haereticis et contentiosis, ut reicerent etiam formulam ab orthodoxis recte usurpatam, qua dicitur natura humanitatis passum esse Christum, et Theodotus prohibet quominus divisionem secundum cogitationem nominent ii, qui Nestorii opiniones sequuntur; sic imitati sunt magnum Athanasium, supremumque Deum, nam ille quidem Arianos, hic autem pseudoprophetas mendaces, etiam reiectione verborum, quae ab ipsis dicebantur, cohibuit.

Nemo autem existimet primum sanctum Cyrillum novum quid protulisse dicendo eos, qui adversus ipsum propositionem urgebant, dicentes « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise?[2] », prorsus supervacaneo asserere « natura humanitatis » Christum passum, tanquam removentes et separantes ut duo agnoscerentur, non autem unum iam ex Deo Patre Verbum incarnatum et inhumanatum, — quod orthodoxi absque malitia confitentur, similiter dicentes Verbum inhumanatum « natura humanitatis » passum, ut idem asserant « carne » passum esse iuxta Scripturas, — ubi ipsum quoque magnum Athanasium invenimus in prima oratione contra Arianos scribentem ne tunc quidem illis fidem habendam esse, cum scripturisticas aut orthodoxas voces proferunt: ATHANASIUS: « Nam etiamsi voces ex Scripturis exscribant, ne consentiatis scribentibus; etiamsi verba orthodoxae confessionis proferant, ne sic quidem loquentibus attendatis. Non enim recta mente loquuntur, sed his verbis velut ovina pelle induti, intus Arii opinionibus assentiunt, sicut haeresum dux diabolus. Nam et iste * verba ex Scripturis *desumpta* proferebat, sed silentium ei a Salvatore nostro est impositum. Si enim ea, quae dicebat, sensisset, e caelo non cecidisset. Nunc vero, cum mente sua lapsus est, malefactor iste simulatis verbis loquitur[3].»

Sic etiam iniquo Nestorio et asseclis eius prorsus dividentibus Emmanuelem et duas naturas asserentibus individuas et unitas subsistere post unionem, non autem confitentibus unum ex duobus Christum, unamque naturam et hypostasim Verbi incarnatam, sed simulate dicentibus se secundum cogitationem tantum separare, sanctus zeloque Phinees instigatus Theodotus, episcopus Ancyrae Galatiae, quominus eiusmodi viri dicant *Christum* « secundum cogitationem separatum » prohibet. Ideo ergo iniquus Nestorius, in opere quod per interrogationem et responsionem scripsit contra Theopaschitas seu Cyrillianos, scribit sic: NESTORIUS: « Ipse quidem unus Filius, consubstantialis Patri, ut recte antea dixi; naturae vero Filii, pro consubstantialitate cum Patre atque nobiscum, separatione secundum cogitationem dividuntur[1].» Rursusque, in oratione cui titulus « In illud: Assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo[2] »: « Igitur unio naturarum indivisibilis est, substantiae eorum, quae unita sunt, divisibiles, non sectione unionis, sed cogitatione divinitatis et humanitatis. Idem audi, et quidem clarissime: Christus, ut Christus est, indivisibilis est; compositus autem ut Deus et homo; simplex secundum filiationem, sed secundum * induentem et indutum duplex; secundum personam Filii singularis, sed velut duobus oculis naturis humanitatis et divinitatis fulgens[3].»

Ecce quomodo, causam afferens quod secundum cogitationem separat et solummodo agnoscit differentiam secundum substantiam eorum, quae coniuncta sunt, secundum hypostases dividit Deum et hominem, induentem et indutum, et sola identitate nominis filiationis eos inter se colligat atque, ut dixit, dignitate exinde *sequente*, quemadmodum etiam supra exhibitus est dicens, in homilia, quae inscribitur « In commemoratione sanctae Mariae, cum prius concionatus esset Proclus », et cuius initium est: « Plaudi iis, qui de beata Maria loquuntur, a coetibus Christi amantissimis, non est mirum[4] »: NESTORIUS: « Coniunctionis igitur confiteamur unam dignitatem, naturarum autem duplices hypostases[5].» Quapropter sanctus Cyrillus, ad Eulogium scribens, dixit: CYRILLUS: « Sic et de Nestorio: licet

[1] Cfr *P. Lat.*, LIV, 775 — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [3] *P. Gr.*, XXV, 556.

[1] LOOFS, p. 210. — [2] MATTH., XXII, 2. — [3] LOOFS, p. 280. — [4] Cfr *ibid.*, p. 337. — [5] LOOFS, p. 340.

dicat duas naturas, differentiam significans carnis et Dei Verbi, — alia enim est Verbi et alia carnis natura, — unionem tamen nondum nobiscum confitetur. Nos enim illa unientes, unum Christum, unum Filium eundem, unum Dominum confitemur, ceterumque unam naturam Filii incarnatam[1].»

Itaque sanctae memoriae Theodotus, causam praetendente illo impio atque ostentante speciem personae orthodoxiae, et asserente quidem secundum cogitationem se separare, sed differentiam secundum substantiam assumente *ut* causam absolutae divisionis naturarum, ex quibus est unus Christus, * vetat illum hoc ipsum dicere, quod secundum cogitationem separet, quod recte proclamatur a doctoribus orthodoxis, qui unam ex duobus confitentur naturam et hypostasim Verbi incarnatam, atque eorum, quae inconfuse concurrerunt in unum, divinitatem dico et humanitatem, differentiam secundum substantiam agnoscunt, quae *differentia* secundum meram cogitationem et contemplationem apparet. Igitur, in homilia sua, cui inscribitur « De nativitate Christi », scripsit sic: THEODOTUS: « Ut unus idemque sit et divinitus glorificatus, et humana perpessus. Et hoc nobiscum confitentur omnes qui unionem confitentur divinitatis et humanitatis. Quod enim unitum est, non iam est duo, sed unum nominatur. Si autem rursus cogitatione separas et unumquodque singillatim contemplaris, unionem ergo solvis. Impossibile enim est simul unionem servare et unumquodque singillatim contemplari. Sed quod est unitum, insolubiliter unum factum est, neque rursus fit duo. Sed sola cogitatione separo, inquit. Ergo eadem cogitatione etiam unionem solvisti; nam quo removes alterum ab altero, eo ipso etiam unionem dissecuisti. Quid ergo salutarem dispensationem dissolvis, duo intelligens et unionem spernens?[2]»

Sciendum est autem eum, impugnando absolutam separationem quae non vult iam non dicere duo post significationem differentiae et cogitationem unionis, sed manet in absoluta sectione dualitatis, haec dicere, cum separationem cogitatione *tantum factam* causantur et a Deo Verbo hominem, ut insipienter dicere volunt, removent. Post alia enim, in eadem * oratione,

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 225. — [2] *Ibid.*, 1356.

addit etiam haec: THEODOTUS: « Porro, nos ostendimus pauperem factum esse propter nos eum, qui ratione divinitatis dives erat, et salutem facile parabilem omnibus fecit. Quod etiam significans magnus Paulus dicebat: « Propter nos pauper factus est, cum esset dives, ut nos illius paupertate ditaremur[1] ». Et quis erat ille dives? et qua re dives? et quomodo ille pauper factus est pro nobis? dicant nobis qui a Deo Verbo dividunt hominem et quod unitum est seiungunt commemoratione naturarum, duo quaedam dicentes Christum, et *formulam* « sola cogitatione » ad sui defensionem afferentes[2].»

Haec manifesto ostendunt adversus eos, qui dividebant unum Christum in hominem singillatim Deumque seorsum *existentem*, et ad defensionem sectionis in duos filios et duos christos afferebant praetextum separationis secundum cogitationem, illamque *separationem* ut simulatam defensionem proferebant, sanctum Theodotum exsurrexisse et reiecisse tandem separationem secundum cogitationem, qua magistri, qui recte tractabant verbum veritatis, usi fuerant ad significandam differentiam secundum substantiam, simul considerantes etiam inconfusam indolem unionis hypostaticae, unumque ex duobus agnoscentes eum, qui hac *unione* absolutus est, unam personam et unam hypostasim atque naturam Verbi incarnatam. Quia vero ii, qui dualitatem christorum impie inducebant, differentiam substantialem naturarum, ex quibus unus et solus et verus est Christus, ut causam absolutae sectionis assumebant, — ut supra etiam produxi Diodorum facientem et a sancto Cyrillo reprehensum, et differentiae adiungentem divisionem * et absolutam sectionem dualitatis, huiusque oblitum quod, ut dixit ipse Spiritu sapiens Cyrillus, in tomo secundo adversus Nestorii blasphemias: CYRILLUS: « In Christi mysterio, unionis ratio non ignorat quidem differentiam, excludit autem divisionem: non quod confundat aut misceat inter se naturas, sed quod carnis et sanguinis particeps factum Dei Verbum unus rursum Filius etiam hoc modo intelligitur et appellatur[3] », — ideo zelo fervens Theodotus separatione secundum cogitationem iis interdicit[4], qui eo

[1] II *Cor.*, VII, 9. — [2] *P. Gr.*, LXXVII, 1361. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 85. — [4] Nota in codd.: « Graece pro « interdicit » habetur « negat ».

progrediebantur ut etiam secundum hypostases dividerent Emmanuelem, et differentiae secundum substantiam adiungebant etiam absolutam separationem et sectionem et divisionem. Quapropter addit in eadem oratione etiam haec: Theodotus: « Unum dicis Christum, eundem Deum et hominem; ergo unum etiam intellige. Quodsi dicas quidem unum, cogites autem duos, sermoni tuo repugnantem habes cogitationem. Ne ergo dicas duo differentia quadam a se mutuo remota. Si enim sermone unias, noli cogitatione dissecare; si autem cogitatione disseces, unionem negasti. Ne ergo ad naturas divisas cogitationem demittas, Deo summam mirificante unionem[1].»

Vides quomodo etiam separatione secundum cogitationem interdicat illamque abscindat iis, qui differentiam ad naturas omnino divisas protrahunt et in sectionem singularem et absolutam convertunt. Ab ea enim differentia, quae non sistit in agnoscenda diversitate naturali eorum, quae ineffabiliter concurrerunt in unum, sed pergit ad absolutam sectionem et divisionem Emmanuelis, * secundum quam duas dicunt naturas post unionem, sese avertit etiam sanctus Cyrillus, in oratione prosphonetica ad piissimum imperatorem Theodosium, sic scribendo: Cyrillus: « Discat quispiam alio etiam modo *illum* fidem nequaquam repellere, sed citra ullam sectionem et differentiam velut in propria persona admittere, etiamsi homo factus sit. Cum enim caecum ab utero matris eius sanavisset, et dulce quidem sed insuetum lumen illi insevisset, merito in admiratione apud omnes erat. Verum is, qui morbo liberatus fuerat, a Iudaeis interrogabatur et medicum profitebatur. Christus autem forte in illum incidens, ad illum dixit: « Tu credis in Filium Dei? » Clamante autem illo « Quis est, Domine, ut credam in illum?», respondit, dicens: « Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.» At ille dixit: « Credo, Domine »; et adoravit eum[2]. Attamen, quomodo non evidens est omnibus invisibilem prorsus esse divinam supremamque naturam? Nam « Deum nemo vidit unquam[3] » ut scriptum est. Si ergo sibi removenti a se humanitatem, Verboque nudo et soli, quale ortum est ex Deo Patre, fidem adhiberi volebat, cur non potius

* p. 325.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 1368. — [2] Ioh., ix, 35-38. — [3] *Ibid.*, i, 18.

admonuit eum cui beneficium collatum fuerat, considerandum esse quaenam sit natura divina, sed se corporaliter ostendit, sicut etiam oculis ipsis videri potest? Dixit enim: « Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est ». Aut numquid illum dicemus non ostendisse carnem? Atqui, quo tandem pacto ipse est caro, nisi secundum unionem intelligatur ut qui ipse sit id *quod sibi proprium est? Simile quid etiam de nobis concipitur: designat enim quis indivise et perfecte hominem nostri similem, ex anima scilicet et corpore *constitutum*, etiam per solam carnem eius[1].»

* p. 326.

Hanc ergo differentiam, quae in absolutam sectionem evadit, et dividit Emmanuelem in duas hypostases et naturas post inexplicabilem unionem, non autem agnoscit ex rebus diversis minimeque sibi mutuo consubstantialibus, ex divinitate et humanitate, unam esse inconfuse naturam et hypostasim Dei Verbi incarnatam, ipse quoque eximius Cyrillus expulit, dicendo «citra ullam sectionem et differentiam », et ostendendo a se non negari differentiam secundum substantiam eorum, quae in unum coniuncta sunt, divinitatis et humanitatis, — etenim diversae speciei sunt haec minimeque sibi consubstantialia, et ineffabiliter effecerunt, absque mutatione, unum ex duobus Christum, — sed *negari* illam sectionem in duas naturas et hypostases, quae simul cum differentia intelligitur, quamque ipse Salvator noster repulit, qui sanato caeco ab utero matris eius seipsum corporaliter ostendit, et ad illum aperte dixit « Vidisti Filium Dei », non autem secundum differentiam carnis visibilis et divinitatis invisibilis seipsum dissecuit, quia unus ex duobus erat, qui per carnem visibilem apparuisse intelligitur et creditur: Cyrillus: « Ita enim, ait, designat quis indivise et perfecte hominem nostri similem, ex anima et corpore *constitutum*, etiam per solam carnem eius[2].»

At ii, qui separant, animales spiritum non habentes[3], ut alicubi scribendo dixit quidam e choro * sacrorum apostolorum, illam, quae cogitatione et mera contemplatione intelligitur, differentiam secundum substantiam divinitatis et humanitatis, ex quibus absque confusione est Christus, effrenate protrahunt,

* p. 327.

[1] *P. Gr.*, LXXVI, 1184. — [2] *Ibid.* — [3] Iud., 19.

illam facientes non differentiam secundum substantiam, sed sectionem in duas naturas absolutamque separationem unius ex duobus hypostasis. Ad quos verbum faciens sanctae memoriae Theodotus, dixit ne hanc quidem distinctionem secundum contemplationem dicere ipsis licere, quae in naturas et hypostases divisas malo quodam artificio ab illis transfertur et unum Christum dividit. Quod etiam sanctus Cyrillus fecit; iis, qui asserunt post unionem in duabus naturis individuis Christum subsistere, praecludens omnem sectionis inductionem, prohibuit quominus diceretur Christum natura humanitatis passum esse, asseruitque illos prorsus supervacaneo ita loqui, volentes atque studentes seiungere a Deo Verbo naturam humanitatis, ut duo intelligantur, neque iam unus Filius incarnâtus. Quamvis enim ait, ab orthodoxis non malitiose dicatur haec formula, attamen melius et tutius est confiteri, quemadmodum dictum est a Scriptura inspirata, « carne » passum esse Emmanuelem, quam « natura humanitatis ».

Ita id, quod a piis viris recte sentiebatur atque dicebatur, perverse cum mala haereticorum calliditate usurpatum atque prolatum, reiectum est. Tale quid invenimus factum etiam a Deo, totius sapientiae et prudentiae dispensatore, a quo * germani veritatis cultores et ministri actionum typos mutuantur. Etenim, cum sancti prophetae saepe formam prophetiae sibi revelatam vocarent « onus », — sicut divi quoque Nahûm et Habacuc et Malachias « onus » vocaverunt prophetiam sibi inspiratam et mystice monstratam, ut auditoribus ostenderetur ipsos non ex corde suo quod sibi placeret effingere atque loqui, sed desuper accipientes gratiam divinam, verbo ministrare; nam, ut scriptum est, « omne datum bonum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum [1] »; « quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis [2]? » clamabat etiam Paulus ad eos, qui putabant dona sibi a Deo concessa esse virtutes sibi proprias, — Ieremiae temporibus, cum immunda turma falsorum prophetarum crevisset, propter polluta munera et misera lucra prophetabant ea, quae incolis Ierusalem placebant. Quod redar-

[1] IACOB., I, 17. — [2] I *Cor.*, IV, 7.

guens Micheas propheta sic loquitur: « Et prophetae eius cum pecunia divinabant, et super Dominum requiescebant, dicentes: Nonne Dominus in nobis est? Non venient super nos mala [1] », sicque oracula sua iniqua et assentatorie prolata venditantes, etiam quoad contemptibilia « onera », quae venundata esse dixi, audebant uti hac appellatione « onus Domini », perinde ac si desuper et a Deo ipsis data fuissent, non autem ab ipsis dicta iuxta id, quod ipsis placebat idque quod auditoribus erat gratum et optatum.

Igitur tam pretiosum nomen et genus prophetiae propter stulta onera et contemptibilia praemia despiciebatur et vile fiebat, * et unumquemque poterant audire irrisive interrogantem: Quodnam *est* onus Domini? Quapropter exsurrexit Dominus adversus hanc hypocrisim et dixit quod ad Ieremiam locutus est de iis, qui dolose hac voce utebantur: « onus Domini » iam non nominabunt prophetiam, aut intolerabilia suffeιet qui vocaverit. « Et si interrogaverint te populus iste vel propheta, dicendo: Quid onus Domini?, dices ad eos: Vos estis onus, et evertam vos, dicit Dominus. Et propheta vel sacerdos vel populus, qui dixerint « onus Domini », poenas requiram a viro isto et a domo eius. Sic dicetis, unusquisque ad proximum suum et unusquisque ad fratrem suum: « Quid respondit Dominus, et quid locutus est Dominus? », et « onus Domini » iam non vocabitis. Ideo sic dicit Dominus Deus: Pro eo quod dixistis verbum istud « onus Domini » et misi ad vos dicendo: Non dicetis « onus Domini »: ideo ecce ego apprehendo et everto vos et civitatem, quam dedi vobis et patribus vestris, et dabo super vos opprobrium sempiternum et ignominiam sempiternam, quae oblivioni non tradetur [2]. »

Legali appellatione et nomine « onus », quoties nominata est prophetia! Ostendebat Deum datorem gratiae, simulque accipientem monebat et in humilitatem cogebat ne extolleretur, utpote qui accepisset, sed verbo ut timens ac tremens ministraret. Propter eos, qui malitiose hoc *nomine* utebantur, prohibuit *Deus* quominus nominaretur, atque eos, qui post prohibitionem nominarent, ceteris condemnationibus tradidit. Quam

[1] MICH., III, 11. — [2] IEREM., XXIII, 33-40.

* p. 330. divinam sententiam * secutus sanctus Cyrillus, apud eos qui dicunt post unionem in duabus naturis individuis Christum subsistere, utpote qui adversarentur confessioni unius naturae Filii incarnatae, prohibuit quominus diceretur « natura humanitatis » *Christum* passum esse idque, cum a viris orthodoxae 5 confessionis sano sensu *hoc* diceretur; quemadmodum ipse quoque apostolicus vir Athanasius de Arianis dixit nos non decere illis credere unquam, ne tunc quidem cum orthodoxa verba loquuntur.

CAPUT VICESIMUM PRIMUM 10

Quod sapientissimus Cyrillus Succensum quidem laudavit dicentem terrena natura passum esse Christum, eos autem, qui in ipsum propositionem urgebant, dicentes « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise? [1]», vetuit illud dicere, ostendens se formula, quae recte et absque vesania ab orthodoxis dicitur, 15 confitentibus duas naturas post unionem, tanquam haereticis, interdicere; etenim medicorum quoque est aegrotis interdicere cibis, qui valentibus sunt tolerabiles.

At optimus Grammaticus, extra circum currens, ut dicitur, nesciensque, ut saepe dixi, « neque quae loquitur, neque de 20 quibus affirmat [2]», putat se validum quid afferre dicendo a sapiente Cyrillo laudatum esse Succensum, qui dixerat Emmanuelem passum esse « natura terrena ». Nam quis negat *Cyrillum* laudes tribuisse? Quomodo enim non laudavisset id, * p. 331. quod recte minimeque malitiose * dicebatur ab orthodoxis? 25 Sed postquam laudavit Succensum hoc dicentem, statim consequenter ponit propositionem haereticorum, in qua hoc dixerunt: Haeretici: « Nihil prohibet quominus dicatur eum natura humanitatis passum esse. Quod si verum est, quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indi- 30 vise? [3]»

Ad quos verbum faciens, gravemque reprobationis sententiam dicens, ait: Cyrillus: « Igitur supervacaneo dicunt eum « natura humanitatis » passum esse, quasi illam a Verbo removeant et proprie seponant, ut duo intelligantur et non iam 35

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 244. — [2] Cfr I *Tim.*, I, 7. — [3] *P. Gr.*, LXXVII, 244.

unum incarnatum et inhumanatum ex Deo Patre Verbum. Illud autem « inseparabiliter » ab ipsis additum censetur quidem apud nos rectae sententiae signum esse; illi autem non ita intelligunt. Etenim « inseparabiliter » apud illos secundum 5 vaniloquia Nestorii alio modo accipitur. Nam dicunt honoris aequalitate, voluntatis identitate et auctoritate inseparabilem esse a Deo Verbo hominem, in quo habitavit. Itaque haud simpliciter verba proferunt, sed cum dolo quodam et malitia [1].»

Igitur, si propositionem e tenebroso tuo libello non abstu- 10 lisses, utique scivisses *Cyrillum* prohibuisse quominus ii, qui dicunt, sicut et tu *dicis*, post unionem in duabus naturis individuis Christum subsistere, dicerent eum « natura humanitatis » passum esse, eos autem hortatum esse ut satius haberent confiteri eum « carne », ut scriptum est, passum esse. Succensus 15 autem * non erat ex iis, qui propositionem urgebant, dicentes: * p. 332. « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise? [2]» Ideo optime primo laudatus est, quod dixisset « terrena natura » passum esse Christum. Quod vero ab illo et ab omnibus sanam doctrinam profitentibus recte dicebatur, eos, 20 qui rogaverunt: « Quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise? » vetuit dicere, asserendo illos supervacaneo hoc facere, qui removent a Deo Verbo hominem et illud « inseparabiliter » cum malitia dicunt et prout stoliditas immundorum vaniloquiorum Nestorii postulat. Cum 25 ergo sanctus Cyrillus adversus eos, qui asseruerunt in duabus naturis individuis Christum subsistere post unionem, hanc sententiam pronuntiaverit, — adversari *scilicet* eos atque repugnare dicentibus unam esse naturam Filii incarnatam, et supervacaneo asserere eum natura humanitatis passum, et dividere 30 in duo, et illud « inseparabiliter » iuxta vaniloquia Nestorii usurpare, — quomodo omnis insaniae pleni non sunt patroni synodi chalcedonensis, qui non considerant illam definivisse Christum in duabus naturis individuis esse agnoscendum, eamque interrogare quaenam natura transfixa clavis fuerit in ligno 35 crucis pendens [3]? Qui impia sua defensione in eximium doctorem Cyrillum manus intentant et veritatis sunt inimici, dum

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 245. — [2] *Ibid.*, 244. — [3] Cfr *P. Lat.*, LIV, 775.

simulant se adversus nos pugnare. Quomodo autem sollerti medico recte quispiam non comparabit eum, qui Orientales suscepit a morbo et corruptione * Nestorii aversos, et ambigue quidem dicentes duarum naturarum factam esse unionem, nihil autem ex peste istius addentes, aequalitatem honoris dico et unitatem filiationis; qui ad eorum infirmitatem condescendens, non postulavit ab illis ut confiterentur quidnam esset unione absolutum, id est, unam esse naturam et hypostasim Dei Verbi incarnatam, sed prudenter, ad illos rescribens, id quod ambigue ab illis fuerat positum ad sanum sensum adduxit, inserendo *formulam* « ex duobus », quae hypostaticam unionem gignit et absolvit unam hypostasim et naturam Dei Verbi incarnatam, sicque dixit: « Unus enim Dominus Iesus Christus, quamvis differentia naturarum agnoscatur, ex quibus ineffabilem unionem factam esse dicimus [1].»

* p. 333.

Sola enim contemplatione differentiam secundum substantiam discernentes, subtiliter perspiciemus duarum naturarum evenisse unionem et concursum; verum, post cogitationem unionis, iam non duas sed unam ex duobus credimus esse naturam Filii incarnatam. Et hunc sapientis curationis modum produximus *Cyrillum* saepe praedicantem in iis, quae ad Acacium scripsit, sic: CYRILLUS: « Quapropter ea, ex quibus est unus et solus Christus velut in cogitationibus apprehendentes, duas quidem naturas unitas esse dicimus; verum, post unionem, tanquam sublata iam in duas sectione, unam credimus esse naturam Filii, tanquam unius, verum inhumanati et incarnati [2].» Illis autem, qui hac curatione dignati sunt, differentiam secundum substantiam ad absolutam sectionem et divisionem trahentibus * et dicentibus: HAERETICI: « Et nihil prohibet quominus dicatur eum natura humanitatis passum esse. Quod si verum est, quomodo duas naturas non concedemus subsistere post unionem indivise? [3]», reprehendit quidem impietatis audaciam manifesto scribendo: « Adversatur iterum et nihilo minus propositio iis, qui unam dicunt esse naturam Filii incarnatam [4]»; prohibet autem rursus salutariter quominus dicant vel illam, quae ab orthodoxis sano sensu usurpatur, formulam

* p. 334.

[1] *P. Gr.*, LXXVII, 180. — [2] *Ibid.*, 192. — [3] *Ibid.*, 244. — [4] *Ibid.*, 245.

« Natura humanitatis passus est », quemadmodum etiam medicus, cum aliquis, qui aegrotavit, avide cupit solidum quemdam cibum et immoderate comedit et in morbum, unde ereptus erat, iterum incidit, illi cibo omnino interdicit. Qui enim primo condescensione usus erat, et a dicentibus duarum naturarum factam esse unionem non postulaverat ut adderent quidnam esset unione absolutum, *scilicet* ex duobus unum esse Christum, unamque naturam et hypostasim Dei Verbi incarnatam crederent et inconcusse admitterent, ipse rursus, quia in morbum suum iterum incurrerunt, eos etiam a formula prohibet, quam usurpare licet, id est, *prohibet* quominus dicant « natura humanitatis » passum esse Christum, etsi a viris orthodoxis non malitiose sed bene et convenienter hoc dictum fuit. Igitur iis, qui in duabus naturis individuis asserebant Christum subsistere post unionem, dignam tribuit condemnationem dicendo eos ita adversari iis, qui unam confitentur esse naturam Filii incarnatam et ubique conari duas naturas subsistentes ostendere, eosque vim inferre differentiae secundum substantiam, a Patribus proclamatae, eorum quae in unum concurrerunt, quae *differentia* sola contemplatione discernitur, *ut illam ad absolutam divisionem et ad sectionem hypostasium adducant, ita ut etiam prohiberet quominus adhiberent formulam ab orthodoxis sano sensu usurpatam, *scilicet* « Natura humanitatis passus est Christus », sicut et Athanasius dixit Arianis, sana et orthodoxa verba simulate proferentibus, non esse credendum.

* p. 335.

In cod. A sequitur caput XXII; in cod. C occurrit haec clausula (fol. 53 v° *b*):

Absoluta est descriptio partis prioris libri secundi [1] sancti Severi patriarchae contra Grammaticum ∵ Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

[1] Sic; lege: tertii.

INDEX TOMI V.

SEVERI PATRIARCHAE ANTIOCHENI
LIBER CONTRA IMPIUM GRAMMATICUM.

ORATIO TERTIA

(*Continuatur tomo VI*)

Locupletiores indices ad calcem tomi sequentis tradentur.

